

Ignatius Weitenauer

‘Mors Vlyssis’

Tragoedia
(1758)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Dezember 2007

Argumentum et Animadversiones

I. Telegonus, Vlyssis filius, missus a matre, ut genitorem quaereret, tempestate in Ithacam est deratus; Vlysses a Telegono filio est interfectus. C. Iulius Hyginus fab. 127.

II. Negari non potest, ingens emolumentum afferri poetae tragicō, si in heroem magni nominis incidat; praeclara enim opinio, quam plerique de eo conceptam penitusque in animis defixam habent, ut favorem et benevolentiam omnium ei conciliat, ita respondentem favori misericordiam ciet. atque hoc nomine confitendum est, debere me Vlyssi plurimum: cuius admirandas laudes praestantissimamque effigiem poetarum antesignanus Homerus literis et immortalitatē commisit, eumque secuti Graeci et Romani certatim verbis amplissimis nobilitarunt. sed liceat profiteri aperte, quod res est: praeter vetustam hanc nominis amplitudinem nihil propemodum Vlyssi debeo, cuius historia mortis, ex Hygino hic recitata, nobilitatem antiquissimam cum ieiunitate maxima coniunctam offert nec poetae quidquam nisi scenam ultimam subministrat, qua Vlysses moriens exhibeat. similis est Vlysses hic meus viro forti et sapienti, ex ultimae nobilitatis familia oriundo, sed quae dilapsis opibus ac fortunis omnibus ad summam egestatem redacta est. superstes ipse, vir magnus et nobilis, sed rerum omnium egenus.

III. At habes, inquiet aliquis, in hoc arguento duo quaedam praesidia artis insignia: animorum suspensionem, qua ad extremum summa rei involvitur, quoniam Vlysses pater Telegono filio et interactori suo ignotus est; et affectum tenerrimum, cum infelix Telegonus videt, patrem a se ignaro occisum. scio esse complures, qui in Tragoediarum materia plurimum esse ponderis arbitrentur, quoties huius generis suspensio et affectus ex historia ipsa obveniunt; quod praejudicium ne tibi quoque, Lector Benevole, fortassis imponat, utriusque rei commoda cum incommodis brevissime conferamus. suspensionem laudant, quae spectatorem involvit; affectum laudant, qui ex agnitione subita nascitur, dum Telegonus vulnerati a se Vlyssis filium se esse intelligit. laudo et ego, sed cum ea exceptione, quam in magni Petri Cornelii Dissertationibus legimus, ubi de Crispo Tragoedia doctissime disputat. titillat, inquit, animum, et cum suavitate illabitur voluptas illa suspensionis, qua tenentur personae praecipuae, Constantinus Caesar, Fausta Augusta, Crispus ipse: ille, ne Crispum filium, illa, ne eundem privignum, hic, ne patrem et novercam agnoscat. decipitur blande spectator, dum veluti alienos cum alienis agere omnes videt, sed in catastrophes exitu repente cognoscit, novercae insidiis Crispum perire, patris ipsius iussu in necem praecepit. bella haec, bella; quis neget? sed sic tamen bella, ut vero et perpetuo Tragoediae affectui sint parum idonea. longe alii orinentur motus in Constantino, in Fausta, in Crispo, si maximam illam inter se propinquitatem nossent; nunc acres illi affectus, elisis naturae et officiorum stimulis, ante finem Tragoediae se non exerunt. quare qui miseracionem intimam et lacrymas quaerit, per haec involucra nihil ad summam profectum putet. ita Cornelius, vir experientia, successu, gloria in rebus tragicis maximus. suspensio nimurum illa, tantopere quibusdam probata, adeo affectum non promovet, ut impedit potius et per totam paene Tragoediam excludat. ubi ad calcem ventum est, tum demum se mutuo filius et pater agnoscunt et, postquam ter quaterve ‘eheu’ clamatum est, demisso sipario scena obtenditur.

IV. Accedit incommodum alterum, priore etiam molestius. si Aristotelici consilii memor, inter multas magnasque Vlyssis virtutes etiam vitium quaero, a quo in ruinam pertractus, ab eodem spectatores absterreat: respondent uno ore, quotquot eius imaginem posteritati transmisere, fuisse iusto callidorem et praestantem sapientiae gloriam ad vafritem deflexisse. id si accipio, haec mihi erit per universam Tragoediam docenda veritas: cave, ne astutiam pro prudentia complectare; id vitium ni fugeris, te, ut Vlyssem, serius ocyus gravi damno involvet. huic documento iam quomodo Vlyssis morientis historia consonet, intueamur. occiditur a Telegono filio. quare? quia nequaquam patrem, sed alienum ignotumque hominem Telegonus sibi resistere opinabatur. vident, ut in diversa abeunt moralis illa veritas et suspensus iste historiae exitus? mors Vlyssis non iam calliditatis poena est, sed casus et infortunium merum. ignarus parentis filius Vlyssem occideret, etiam si candidissimus in omnes per omnem vitam fuisset; idemque contra, si patrem nosset, quantumvis ille versuti ingenii esset, parricidio horribili se nunquam obstringeret. vident, ut nihil cohaeret? speciosa illa suspensio in fumum abit, utilitatem ad mores non affert, nihil docet, et, ut verbo dicam, pulchrum somnum est.

V. Cur igitur, interrogabit Lector, vadum hoc elegisti, si usque adeo incommodum praevidebas? primo quidem idem mihi evenit, quod insignis ille poeta in alio genere cum sensisset, ita conquerus est:

Qua nolunt nautae saepe vehuntur aqua. (Ger. Groms. Eleg. 1 de Pace.)

Tum vero etiam, in hunc alveum aliena magis voluntate inductus quam mea ingressus, eam mihi spem proposui, quanto essent maiora obstacula, tanto plus loci industriae et arti futurum. ante omnia pugnandum mihi contra duo illa duxi, quae sunt a me paulo ante commemorata, ut motus animorum per totum Tragoediae corpus diffunderentur, dudum ante plenam personarum omnium agnitionem; et ut documentum de vitanda fraudulentia tum ubique cum Actibus omnibus, tum praesertim cum ultimo, insolubili vinculo connecteretur et ideo Vlysses periret, quia dolosis consiliis usus erat, non periturus, si aperte candideque agere maluisset.

VI. In Vlysse magna omnia Homerus ceterique proponunt: sapientiam admirabilem, vim ingenii singularem, moderatricem negotiorum omnium prudentiam, sagacitatem acutissimam, eloquentiam flexaniam, patientiam laborum animique fortitudinem in adversis invictam. tot tantisque viri maximi et regis optimi ornamenti notam unam addunt omnes eiusque versutam ac simulatam loquendi agendique rationem unanimi sententia reprehendunt. noxiū profecto vitium seculis omnibus et bono publico infestissimum: quod quo latius serpit et sibi deditos specie prudentiae fallit, eo maiore contentione iunctaque philosophorum, oratorum et poetarum opera ex ingeniosorum hominum animis evellendum est et extirpandum. neque tamen verendum est, ne, dum Vlyssi hoc in Tragoedia criminis vertitur, spectatorum miseratio infringatur. scelestos homines in Poetica sua Aristoteles recte et sapienter herois Tragici dignitate exclusit; quippe nulla spectatorum benevolentia, nulla miseratione dignos atque ideo Tragoediae alienissimos. tales reor esse Iulianos Apostatas, Nerones, Mahometes; viros impios, religionis expertes, barbaros et quodammodo humani generis odium publice professos. at si viro principi, cetera laudatissimo et omni genere virtutum conspicuo, unum aliquod vitium adhaeret, praesertim excusationem recipiens aut virtutis etiam specie fulgens, nemo fere est in tota spectatorum cavea tam severo supercilioso, ut veniam non tribuat facile et, suorum sibi errorum conscientis, in aliena culpa clarissimi viri non indulgenter conniveat. imo crescit per ipsum vitium commiseratio: dum enim tot alia herois decora spectator considerat, dolere ac misereri incipit, quod unus naevus gloriae tantae officiat et calamitatis maxima causa fiat. quapropter apud se voto tacito ingemiscit: o utinam vir tantus uni huic vitio non succubuisse! ah, cur in istas se pedicas incautus coniecit, unde evadendi facultas non suppetat?

VII. Cum inter poetas axiomatis instar sit, sine adversario theatrum torpere, indagandum fuit, quem dignum hostem Vlyssi opponerem. illorum temporum historia Nauplium suggerebat Euboae regem, Graecis universe omnibus, quicunque Troiam obsederant, sed nominatim Vlyssi iratum; filium enim Nauplii Palamedem, ab Vlysse accusatum, Graeci apud Troiam damnaverant, et tanquam prodigionis reum saxis obruerant. necem Palamedis filii Nauplius ad promontorium Caphareum ingenti Graecorum strage ultus est; parem haud dubie calamitatem et exitium, ubiubi posset, Vlyssi allaturus, quem ducem facinoris et coryphaeum ceterorum fuisse non ignorabat. differre vindictam id unum cogebat, quod, Vlysse annos ipsos decem absente et erroribus continuis iactato, nemini constaret, ubi gentium deprehendi posset. nunc, ubi tandem ille in regnum a diurno exilio rediit, moram non patitur Nauplius, quo minus destinata perficiat et cupiditatem veterem satiet. vitandi tamen erant scopuli duo, in quorum alterutrum incurri facile in hoc negotio poterat; suberat enim periculum, ne vel crudelitas Nauplii esset nimia vel Vlysses suscepti olim sceleris magnitudine fieret miseratione indignus. sed Nauplio species quaedam iuris non deest; irascendi enim ea causa est, quam reprehendere vix, omnino damnare profecto non possis. non hic vel de sacris hominibus vel de Christianis legibus sermo est. haec autem si non respiciimus, quis vitio dabit Nauplio, si de persecunda filii nece cogitet? reges sunt, et Vlysses et ipse: neuter tribunal agnoscit. si satisficeri sibi cupit Nauplius, per se ipse satisfaciat necesse est; iudicem implorare non potest. ac ne tam longe abeam, vir nobilis aut militaris quicunque, antiquis praesertim illis moribus, insultos filii Manes relinqueret? aut ad iudicem potius, quam ad capulum suum causam talem referret? atqui eo usque Nauplius meus non procedit: cohibet enim dexteram, et vindictam, etsi vehementer expetit, ab alio tamen expectat. alterum vero erat periculosius, ne, qui toties Nauplium de Palamedis filii nece querentem audit, Vlyssi auctori succenseat eumque suppicio et odioignum existimet. qui Virgilii meminit, praefossum ab Vlysse aurum scit in Palamedis tentorio, ut hoc indicio perfidiae convinceretur. fraudis ergo capitalis et crudelitatis reus Vlysses videri potest, nec indignus, qui innocentis sanguinem suo nocentis sanguine expiet. fraudem inficiari nec potui nec volui; meo enim proposito conducebat, Vlyssem dare poenas fraudis, quandocunque commissae. sed fraus haec ne crudelis neve capitalis esset, in hunc modum commentus sum: Palamedes apud me, tum in Choro, tum in ipsa Tragoedia, laesae in patriam fidei vere est reus, quippe qui, acceptis ab hoste Priamo clandestinis literis, tanti momenti rem tam diu celaverit. commeruit ergo supplicium; nec ipse Nauplius diffitetur. occulto tamen Palamedis crimine exercitus ad eius odium tam facile concitari non poterat, ut regum iudicio assentiretur, qui eum capite damnabant. argumento plausibili et populari eum Vlysses oppressit, infensus pridem, et auri defossi artificio rei causam afflxit. sic Vlyssis astus non ad rei summam, sed ad modum pertinet; nec innocentem involvit, quod crudelis est, sed capitali poena dignum dolo excoigitato impellit, quod vafri et callidi.

VIII. Telemachi non mores tantum, sed exilium etiam apud Cephallenos e veterum monumentis hausit. magnanimum eum facio et animosum, sed paulo elatiorem, quoniam utrumque illi Homerus tribuit, cuius est in hac re antiquissimum primumque suffragium. pulsum ab Vlysse patre in

Cephaleniam, narrat Dictys Cretensis, Troiani belli Historicus. a fratre Telegono sic eum distinxii, ut ille gloriae sit appetentior et excelsior, hic patris amantior teneriorque. mavult exulare Telegonus et ubivis delitescere quam patrem propter se in metu et periculo esse. Telemachus ambitionisior, aversatur quidem et ipse parricidii nomen, sed ut regnum fugiat et patria sponte exeat patris causa, animum non inducit. intererat autem huius Tragoediae, ab eo ipso Vlyssem interfici, a quo tantopere amabatur.

IX. Natales Telegoni difficultatem paene inenodabilem offerebant, cum non appareret, quid de illius matre seu dici seu reticeri convenienter historiae mythicae et auditorum expectationi posset. missus a matre, Vlyssem patrem quaerebat Telegonus, ut in ipso argumento ex Hygino narravi. a qua tandem matre missus? *Telegonus Vlyssis et Circes filius* ab eodem ipso Hygino dicitur, fab. 127. Plutarchus in Graecorum et Romanorum Parallelis, ut inscribit, ad libri finem, eosdem Telegono parentes assignat; eosdem Eustathius in librum undecimum Odyss. Homericam. ipsum eius nomen Eustathius (in Odyss. l. 4) hinc derivat, quod esset procul ab Vlyssis regno Circe matre genitus (*εκ Κήρης τηλε που γεννηθεις*); *τηλε* enim Graecis *procul* est. atque id in Mythologis, in Lexicis omnibus, in omnibus adeo Elucidarii ita passim occurrit, ut neminem latere possit, qui modo labris primoribus eruditionem degustarit. eludi proin dissimulatione haud potuit opinio tam pervagata, qua Telegonus Circes filius creditur. atqui vivit Penelope, eiusque memoriam in audientium animis Tragoedia mea identidem refricat. quid ergo? duas Vlyssi uxores iungerem uno tempore? equidem id fingere absque honestatis labe ulla inter Theologos et Historicos potuisse, qui legum ac temporum discrimina in numerato habent et ritus variarum gentium varios norunt. sed auditorem promiscuum a theatro in scholam deducere, non libebat; nec sperare poteram, probatum iri plerisque rem a nostris moribus ipsisque auribus usque adeo abhorrentem. dividerem igitur uxorum tempora et post obitum Circes primae coniugis Penelopen demum in Vlyssis regiam introducerem? at obstabant multa, et illud in primis, quod ridiculum futurum erat, maiorem natu Telemachum ad coniugem posteriorem reiicere. esse autem minorem Telegonum, ita notum est omnibus, ut ne in dubium quidem vocare sine eruditorum offensione auderem. ex adulterio ergo natum Telegonum confiterer, quod plerique faciunt, et victimum Circes amoribus Vlyssem infamiae suae relinquerem? foedum dictu, turpe tam illustri filio, ipsi autem heroi longe turpissimum. nego prorsus, Vlyssem Circaeum hoc amoris poculo captum unquam fuisse aut illecebris petulantibus insidiantis Deae cessisse. testes edo innocentiae: Homerum, Aristotelem, Plutarchum, Philostratum, e Graecis; Ciceronem et Propertium, e Romanis; quorum locos in Testimonii ad Act. V Scen. IV nominabo. suffragatores tam nobiles purum et integrum cum praestent Vlyssem, feci iure, quod fingere per licentiam potuisse, et Circaeos illos amores ac delicias inter commenta reieci. suspensionis tamen occasionem, quae inde nascitur, neutiquam repudiavi.

X. Sinon, Vlyssis propinquus et proditor, iisdem a me coloribus pingitur, quibus eum Virgilius in Aeneide olim expressit. perfidus hic duo mihi obsequia perquam optabilia exhibit: conservat miserationem, quam adversus Vlyssem in spectatore opto; idemque indignationem lenit, quae contra Nauplium concipi poterat, nisi intercederet Sinon hic et ictum veluti in se averteret. calliditatis reus Vlysses est, sed ita, ut ex ipsa huius vitii nebula heroicus animus et excellens magnitudo eluceat. Sinon ostendit, quoque progredi calliditatis vitium possit et in quam profundum sceleris barathrum denique praecipitet sibi obnoxios, quin usquam iam possint insistere. cum homine hoc perfido dum Vlyssem spectator comparat, tantam in heroe virtutem reperit, ut paene innocens haberi vel in vitio possit. unde miseratio incrementum capit, dum dolemus, eodem interitu virum maximum deterriumque involvi. sed et Nauplium Sinon odio levat et crudelitatis invidiam totumque perfidia titulum ipse sustinet. abominandum hominem e Tragoedia impunitum discedere, nemo spectator aequo animo ferret; quamobrem inventa est ratio, qua scelus eius detestabile et celerrime detegretur et in vestigio puniretur.

XI. Mori meo hic quoque institi, ut fabula Tragoediae tota commissuris historicis coniungeretur. ex illorum igitur temporum Historia Mythica deprompsi longinquam Telegoni peregrinationem, Telemachi apud Cephallenos exilium, Palamedis cineres in urna aurea ad Nauplium missos, delphinum Vlyssis insigne, hastam Telegoni trygonis osse fatali munitam. si scelerum artifex et fraudis machinator, si dirus et saevus, si hortator inventorque scelerum apud me Vlysses alicubi dicitur, neutiquam id ex animi mei sententia dicitur aut a me ceu verum asseritur; sed antiquae sunt inimicorum voces, e scriptoribus vetustissimis repetitae, quae in hostium ore vim paene omnem amittunt et contrariis laudibus ubique eliduntur, praesertim cum hae quoque non a me conflictae sint, sed antiquitati debeantur. si in Choro altero Apollinis Pythii seu Delii oraculum nominavi, non Lycii, id eo factum, quod ipse Vlysses apud Homerum (Odyss. l. 6) suae ad Apollinem Delium profecti meminit, dum Nausicaam regis Alcinoi filiam cum palma successente comparat, quam nuper in Delo secundum altare Apollinis se vidisse ait. si denique oracula duo in speciem contraria saepius commemorantur, quorum altero praeditum erat, peritum Vlyssem a mari, altero, peritum a filio, sola Historiae Mythicae reverentia me permovit, ut ea retinerem, quae nisi in possessione veteri reperissem, nunquam profecto ipse ultro finxissem. tametsi vetustis his temporibus oracula ius quoddam sacrum et pontificale obtinent, quo deiici absque iniuria manifesta non possunt; illorum enim seculorum more oracula opinioni hominum et veri similitudini adeo non repugnabant, ut nihil esset usitatius nec ulla certior sanctiorve ne-

gotiorum regula esse crederetur. Sophoclis ille Oedipus, toties apud omnes gentes repositus diversis Europae linguis, duobus oraculis continetur, antiquo altero de parricidio thoroque materno, altero novo de expianda Laii caede, ut immissa divinitus pestis cohibeatur ac cesse. est tamen oraculorum, etiam veterum, ingens in theatris discrimen, cum alia soli ornatui serviant, alia necessitati. si oraculum poemati fulciendo sic inseritur, ut sine illo Tragoedia non consistaret et labante causarum nexus ipsa fabulæ constitutio inclinaretur, sola necessitate coactum esse poetam appareat, qui ad opem hanc divinam, tanquam ad machinam et asylum, confugerit. quod si vero contingere etiam sine oraculo aequæ res eadem poterat, salvo causarum nexus et fabulæ constitutione integra persistente, non iam necessitati, sed ornatui datum esse oraculum intelligetur. necessaria parum laudis habent, temporum tamen excusione se tuentur et illa Horatii voce, dignum Deo vindice nodum fuisse. cetera, quae ad ornatum duntaxat pertinent, praesertim si ab antiquis scriptoribus referantur, communis peritorum approbatione semper excepta sunt. ad postremum hoc genus refertur oraculum illud, quod in Annibale Tragoedia ex Appiano et Plutarcho posui:

Libyssa tellus corpus Annibalis teget.

Simile est oraculum de Vlysse, quo mare allaturum ei exitium dicitur:

Vt pereat Ithacus, non nisi ex pelago fore.

Quam Dei vocem semel et iterum Homerus narrat, Odyss. l. 10 et l. 23. quandoquidem et in Annibale et in hac Tragoedia etiam absque his oraculis eadem omnia fierent totusque causarum et eventuum nexus, demptis illis, integer perseveraret, de altero autem Tragoediae huius oraculo dubitabunt non pauci, et iure quidem, utrius sit generis; nam nisi audisset heros, se manu carissimi interemptum iri, personam non tegeret neque a Telegono occideretur, si personam ipse suam non tegeret. ita videri sane potest primo Tragoediae aspectu. sed dicam, quid fuerit mei consilii. si Vlysses, percepto etiam hoc oraculo, nec latuisset nec mortuum se simulasset, quid erat futurum? mansisset in regno Telemachus, Vlyssem vivere et regnare scirent omnes incolae; idque advenienti Telegono sive Telemachus frater sive alias quilibet aperte et sine ambagibus indicaret. Telegonus autem pro sua in parentem pietate summa et amore incredibili, gaudio et reverentia plenus ad carissimum Vlyssem accurreret nec de ulla re minus quam de execrabilis parricidio cogitaret. nunc, dum Vlysses more suo oblique omnia agit et per cuniculos dolosque se tegit, eo denique proceditur, ut ipse Vlyssis intersector credatur a Telegono et vindicandi patris studio pater infelicissime perimatur. non ergo oraculum, sed sua callidas Vlyssem perdit, cum interire Telegoni manu apud me non posset, si eum vivere filius intelligeret; quod autem occisum credit, ab ipso Vlyssis astu sparsoque de sua morte commento proficiscitur.

XII. Monuit me ex amicorum numero unus et alter, haerere se dubios, satisne sit vero simile, quod in Tragoediae meae exitu Vlysses furenti Telegono se non manifestat. nam tu ipse, aiebant ad me illi, fateris Vlyssem eo esse animo, ut mortem quamlibet optet potius, quam cadere filii dextera velit; cum ergo intentari ignoto sibi necem a filio non obscure sentiat, quidni malum ultimum antevertit seque Vlyssem profitetur vir sapientissimus? respondi: quia, ut cetera sapientissimus, ita suis in rebus callidissimus. alienum penitus erat, non a proposito tantum meo, sed ab ipso Vlyssis charactere, ut mysterium illud tanta arte concinnatum, tanto studio occultatum, momento proderet seque de fallacia ipse palam argueret; Nauplio praesertim astante, quem ne in arcani cognitionem admitteret, multa obstabant. imminentem a Telegono ictum prospicere spectator quidem facile potest, quippe gnarus mendacii, quo perfidus Sinon modo iuvenis animum inflammavit; at Vlysses, eiusdem ignarus, diu nullum habet indicum, unde furorem tantum suspicari in Telegono possit. securus perstat nec habet, quod metuat, donec exclamantem Telegonom audit de Vlyssis sanguine, quo infectam esse hastam sibi traditam falso existimat:

*Dilecte sanguis, osculum nostrum hoc habe:
Obliterabit rite te sanguis novus!*

Tum vero, cum Telegonus aperte cupiditatem vindictae denunciat, Sinon ipse monet:

*... cernis, cuspidem ut quatiat minax?
Cede, obsecro, ne casui detur locus.*

Ita ille, ut proditionem suam celet et fidus Vlyssi videatur, cum tamen satis videat, regem, etiam si cedat, effugere tamen aperto in loco iuvenis concitati impetum iam non posse. Vlysses autem, ubi serio rem agi videt, absque mora se in villam proximam recipit, disertis verbis professus, fugere se necem a filio inferendam, quam Dii praedixerant.

Non mucro terret iste, sed voces Deum.

Sed has ipsas Deorum minas ignarus implet Telegonus, qui protinus insectans, mortiferam plagam infligit. sicui tamen haec minus satisficiunt, is per me fingat, abire Vlyssem una Scena ante, quam apud me se subducit: sic tempestive vitare periculum velle videbitur, neque tamen in constitutione fabulae aut catastrophes ordine quidquam aliud mutare necessum erit.

XIII. Totius Tragoediae summa in hanc veritatem contrahitur: illa in agendo calliditas, qua tantopere sibi multorum ingenia placent, nequaquam virtus est, sed vitium periculosum. philosophus, ad mores formandos disputans, documentum istud his fere argumentis corroboraret:

- I. Nec omnes nec semper latebis.
- II. Deprehenso astu, in odium et invidiam incurres.
- III. Etiam cum latebis, fortassis alias, consiliorum tuorum ignarus, tibi damnum afferet.
- IV. Etiamsi nunc evadas, existet olim non leve incommodum.
- V. Alii contra te tuis artibus pugnabunt; etiam a quibus minime omnium expectes vel quorum adeo opera in negotiis usus fueris.
- VI. Gravem quoque vindictam parere tibi calliditas haec potest.
- VII. Per quae maxime tutum te opinaris, ea te fortasse pessumdbant.

Orator, si his ipsis argumentis uti voluerit, neutiquam nuda arripiet, sed figuris ad motum animi ciendum aptatis conuestiet ceterisque dicendi ornamenti efficere conabitur, ut in suam sententiam auditores adducat. poeta vero theatalis, cuius est non probare tantum, ut philosophi, nec persuadere solum, ut oratoris, sed probare et persuadere agendo, argumenta illa omnia in totidem personas convertet ac veluti transformabit. non dicet poeta, ut philopsophus et orator, ‘calliditas periculosum est vitium’, sed ita: ‘fuit vir maximus, sapientia regia, eloquentia singulari, sed calidus; is, rebus praeclare gestis, innumeris defunctus periculis, dum astutis artibus securum se reddere conatur, per has ipsis interitum sibi affert.’ rex hic Vlysses est. argumentum primum ex iis, quae supra enumeravi, est Palamedes; alterum, Circe; tertium, Telemachus; quartum et quintum, Sinon; sextum, Nauplius; postremum, Telegonus. nam quod argumenta illa solis verbis, hoc personae istae dictis factisque suis probant et auditorum animis auribusque, imo et oculis ipsis inculcant.

Personae

Vlysses	Ithacae rex, sub nomine Eumeli
Nauplius	Euboeae rex
Telemachus	Vlyssis filius
Telegonus	Vlyssis filius, sub nomine Polypemonis
Sinon	Vlyssis propinquus et proditor
Macareus	Vlyssis ac Telegoni familiaris
Belides et	
Eurymedes	filii regis Nauplii

Scena in littore Ithacae, proxime villam regiam.

Actus primus

Scena prima

Nauplius, Sinon, Belides, Eurymedes

- Naup. Ithacamne felix inscio tetigi pede?
Haecne illa tellus, summa quam vota expetunt?
- Sin. Altrix Vlyssis terra se sponte obtulit,
Et, quam negabat nigra tempestas, dedit.
- Naup. Bona o procella! citius admovit ratem.
Sed qui fit, ultro littore ut primo obvium,
Sinon amice, te mihi sistas celer? 5
- Sin. Magnanime Naupli, literis ex quo datis
Tua excitavi vela, numerabam dies
Oculoque vigili terga lustrabam maris.
Excelsa mihi cum specula velorum sinus
Et nota pridem insignia ostendit procul,
Te spero, te requiro, nec voto irrito. 10
- Naup. Neptune genitor, debeo pinguem hostiam
Daboque laetus: filio ignaro ducem
Te praebuisti, dumque te saevum reor,
Tu mihi secundus littus optatum obiicis.
Tua persequentem meaque nunc odia, o pater,
Communem in hostem, me iuva, o Tridentifer! 15
- Tu quoque, fidelem pollicitus operam, Sinon,
Iramque nostram spemque destituas, cave.
20
- Sin. Servatus a te, non tibi servet fidem?
Vltrice tu cum littus armasti face,
Cum sparsa Achivum membra fluitarent ducum
Graiasque puppes saxa tua dirumperent,
Sinon perierat naufragus, praeda aequoris
Rigidive teli, tot peremptorum comes,
Nisi enatantem tu recepisses pius. 25
- Naup. Placatus illa voce repressi impetum,
Qua Dardanas perisse narrabas opes;
Nec immolari filio te par erat,
Qui, quod petebat filius, cauto dolo
Effeceras impavidus, everso Ilio.
At quanta spes erepta, quam clarum decus,
Quam dulce munus esset, et nato et mihi,
Si te vel aequor vel mea hausisset manus? 30
Quam bene pepercisti, fata miseratus viri,
Devotum Vlyssis qui mihi addicit caput!
- 35

	Age, quae flagranti pateat ad metam via, Docere propera, dum meo iussu foros Deserere nemo sustinet et hospes procul, Quem veho, remotus istud explorat solum.	40
Sin.	Tibi universa consilia et artes dico; Nec vincere unum nequeo, qui vultu bono Omnes fefelli Troas et Priatum senem, Cum pinea unus claustra reseravi impiger Et millia inter Dardanidum inermis steti.	45
Naup.	Non minus Vlysses unus ingenio potest, Quam tota quondam Troia, quam vertit potens.	
Sin.	Quam diro Vlyssi ad gloriam praesto fui, Tam dirum Vlysses sentiet me nunc sibi.	50
Naup.	Hos iuro cineres, munus Atridae impii, Hos iuro cineres filii, nil tam asperum, Periculorum tam mihi impones nihil, Quod non paternus audeat furor ac amor, Quo non iniquam rite Palamedis necem Vlyssis hostis mutua clade expiem.	55
Sin.	Nemo Palamedi, foederis taciti reo, Palam imputasset literas Priameias, Vox nulla tristi morte damnasset caput, Dulichius hostis nisi tetendisset plagas.	60
Belid.	Vlciscere ergo, genitor, indignam necem Et sterni Vlyssem milite a nostro iube.	
Naup.	Nil iussa, nil aperta vis isthic queat. Moderare linguae, nate mi, bilem tegens: Ni facis, inultus hic revertetur cinis.	65
Eury.	O caese frater, tristis odiorum hostia, Ah, cur cruento nobilem fundi iubes?	
Naup.	Haec urna, fac, priore servetur loco.	

Scena secunda

Nauplius, Sinon

Naup.	Iam fare tutus: tela quo verti expedit? Vbi hostis? aut queis Neritus armis patet?	70
Sin.	Solum docere libere nunc te licet; Nec suspicaris, quae tibi pandam, intima. Tu namque Vlyssem te reperturum hac die Frenos tenentem patriae speras plagae.	75

- Quantum stupebis, lumine ubi cassum audies
Et publico pronuper absumptum rogo!
- Naup. Quid loqueris? aura desiit vesci improbus?
Quis finis illum tam subitus orbe expulit?
- Sin. Mira, nova, multa percipe et digna hoc viro. 80
- Naup. Arcana differ: praeproperus hospes redit.

Scena tertia

Nauplius, Sinon, Telegonus sub nomine Polypomenis

- Teleg. O laeta navigatio! o prosper dies!
Spe citius Ithacae littora agnovi meae.
Voto potimur ambo: nam salvis licet
Salvum hic Vlyssem cernere, periclo procul,
Nostro quoque; sic docent mites dii. 85
- Naup. Suis Vlyssem redditum tandem focus
Indicia fida comprobant.
- Sin. sed quae canis
Oracula deum, propitia nostro duci?
- Teleg. Laetare, domino si Cephallenum faves. 90
Mihi namque sors est redditum, precanti diu,
Vt pereat Ithacus non nisi ex pelago, fore.
- Naup. Vexatus usque concito ventis salo,
Aptum reperiet exitum, a pelago obrutus.
- Teleg. Atqui pepercit fluctus, ut narras, ferox:
Superavit iras Nerei, evectus domum.
Tentare nec iam caeca properabit vada,
Narrante me si discat has divum minas. 95
- Sin. Vlyssi amicum prisca me iunxit fides
Et sanguis ipse, proximo distans gradu.
Sed tu quis hospes? unde hic in Vlyssem favor?
- Teleg. Mihi parentes regii, Polypemonis
Fecere nomen, patrio Alybantis solo.
Fortuna sed me transtulit in oram exteram,
Alybante pulsum, regio amissso patre. 105
Hic educatus, patriam hic nactus novam,
Amore vetere gratus in Vlyssem feror.
- Naup. Euboeae arenas forte Polypemon venit,
Dum navim in Ithacam vela facturus paro.
Generosa placuit indeoles stirpsque inclyta,
Multo igne flagrans animus atque Eperito 110

	Parente dignus; denique et studium viae Commune nobis: quippe Laerta satum Cupidine ambo petimus ardentes pari.	
Teleg.	Heroa tantum Graeciae quis non colat? Virtute tanta nobilem quis non amet? Quantum irretorta praestitit Achilles manu, Tantum repostis eminet hic animi bonis. Tot urbium, tot gentium leges vigil Moresque vidit, tantum inest menti iubar, Sapientis olim tulerit ut nomen novum. Hoc nomen illi, regna post Phrygiae eruta Nomen trophyis splendidius unum omnibus, Hoc nomen illi vitor et victus sacrum, Europa et Asia, continens atque insulae, Amici et hostes vendicant; una haec sonat Vox barbarorum et Graeciae, cum bis decem Classis coisset gentium, Troiae minans, Consilia Vlyssis prima fregisse impetus Prudentiaque neminem ferri parem.	115
Sin.	Sapientiae non disparem laudem alteram Geminavit idem: nullus audacem labor Acremque fregit spiritum, nemo arduas Tot provocavit ac tulit rerum vices.	120
Teleg.	Sapiens amatur; sorte sed prava obrutus Ac saepe mersus paene, mihi pectus movet Gemitusque crebros excitat, dum tot malis Patiens lacertos ferreos usque obiicit. Sed adfuere rebus in trepidis dii: Omnis ferendo victus est tandem labor, Et tot pericla discutit sapientia.	125
Naup.	Sapientiae tam strenuae adiecta est nota, Quae sola regis laudibus tanti officit. Versutus heroem animus, ingenium duplex Vocesque versae fraudibus nunquam decent. Fucus hic Vlyssis gloriam vestri inficit, Hoc fugit et odit hostium damnans cohors; Ipsi hoc amici libere fassi arguunt, Hoc latam acerbis pandit aerumnis viam.	130
Sin.	Hoc Ithacus ipse doluit haud raro improbans, Cum licuit alma luce nobiscum frui.	135
Teleg.	Cum licuit, inquis, luce nobiscum frui? Dii melius! an rex luce Dulichius caret? Quid ora retro vertitis? Naupli! comes!	140
Naup.	Confusus ipse, mente suspensa haereo.	145
Sin.	Quid nunciare cogitis moestam necem?	155

- Teleg. Heu me! domine rex, an occubuit mari?
 Domi perire oracula deorum haud sinunt.
 At fluctuum iras Nauplius victas docet.
 Quid credere iubes, horridae o index rei? 160
- Sin. Hic nunciabit impiger, qui nos adit.
- Naup. Amice, quis supervenit?
- Sin. vester dolor.

Scena quarta

Iidem, Vlysses sub nomine Eumeli

- Vlyss. Vobis videtis obvium Eumelum, hospites,
 Cui nuper huius cura commissa insulae
 Servare tutum ab advenis littus iubet. 165
- Dum vestra arenas haeret ad nostras ratis,
 Appropero, causas sciscitaturus viae.
- Naup. Praeclarum Vlyssis nomen hoc avidis iter
 Euboeae ab oris suasit, et fama inclyta,
 Gentes per omnes qua celebratur potens, 170
- Maximus Achivum ductor ac Troum timor.
- Teleg. Dum navis Ithacam quaerit, Aeolius furor
 In littus hoc incognitum antennas rapit.
- Vlyss. Reperistis Ithacam: cursui hic vestro scopus.
 Attamen Vlyssi quae parabatis loqui, 175
- His auribus si creditis, Vlyssis loco
 Percipio promptus. nupta reginae soror
 Ad summa rerum fecit Eumelo gradum.
- Naup. Regi propinquum nomen Eumelum colo,
 Ipsum sed amor est alloqui: ipsius manum
 Vt tangeremus, aequora secuimus trabe. 180
- Vlyss. O cassa vota! ne veniat is, quem petis,
 Coercet interfusa Styx atro sinu.
 Cineres Vlyssis alloquere, Vlyssem haud potes.
- Teleg. O vulnus altum pectoris! Vlysses miser! 185
- Naup. Frustrane tumida venimus mensi freta?
- Vlyss. Mihi tristiora damna, quam vobis fleo.
 Post tot Gradivi, Nerei tot post moras,
 Rursum haec tenebat pristinum regem insula;
- Et innovarat protinus robur vetus 190
- Audax Vlysses totque par unus viris
 Vltor sagittis straverat et hasta procos.

- Post tanta patriae gaudia, exilii modum,
 Regno salutem redditam, quis crederet,
 Quis, heu, timeret tam celere fatum incola? 195
- Naup. Stantem quis hostis tam cito in lapsum impulit?
 Vlyss. Primum calamitas nata probrumque est domi.
 Vix bene reversus dederat amplexus patri
 Telemachus, exul regia cum pellitur.
- Teleg. Quae culpa iuvenem strenuum poenae obtulit? 200
 Vlyss. Quid suspicetur vulgus et procerum manus,
 Mora est referre; consilia regum latent.
- Naup. Sed qua ruina concidit regis salus?
 Vlyss. Nil cogitantem invasit occultus latro
 Ferrumque vibrans, innocens hausit latus.
- Teleg. Quis ausus atrox tantum in heroem est nefas?
 Vlyss. Vir exterus se clanculum regno intulit,
 Vltor necati filii. hic ira fremens,
 Misit sepultis Manibus nati hostiam.
 Pietate functus impia, furtim citam 210
 Subducit alnum, repetit Euboeam fuga.
- Naup. Quis ultior iste filii, Euboicus latro?
 Vlyss. Rex ipse fertur Nauplius, acerbus, ferox,
 Palamede adempto rabidus ac impos sui.
 Letale vulnus, impetu toto irruens,
 Punctum reliquit temporis, quo me ultimo 215
 Dulcemque fracto lumine uxorem videns,
 ‘Moriens mea’, inquit, ‘regna, Penelope, tibi
 Relinquo, coniux fida. Telemachi exulis,
 Eumele, tu pro patre tutelam gere.’
- Naup. Erepto Vlysse, vela torqueri retro
 Res ipsa cogit. ante navigio tamen
 Quam demus Austros, munus exiguum peto.
 Eumele, tantos fervidi tractus maris
 Ne permearit puppis omnino irrita,
 Viduae relictae liceat aspectu frui. 225
- Vlyss. Suadebo; quamquam moesta nunc oculos fugit
 Et, littorali tecta solitudine,
 Hanc, unde venio, proximam villam colit.

Scena quinta

Nauplius, Sinon, Telegonus

- | | | |
|--------|---|-----|
| Teleg. | Nobilis Vlysse! gentis, o Vlysse, salus!
Talem reperio Graeciae regum ducem?
Dum spero vultum, dexteram mihi dum sacram
Prensare iamiam videor et premere osculo,
Oracula tuae dum mihi sapientiae
Promitto demens, tu iaces mutus cinis?
Heu! iam quis Ithacae tecta servabit sagax?
Neritia quis iam regna, quis custos Samen,
Quis tua, Zacynthe, nemora sic unquam teget?
Dulichia squallet, et Cephallenus iacet. | 230 |
| Naup. | Non me Ithaca terrae parva lapidosae caput
Nec saxa mentem Neritiae tantum movent,
Quantum alia gravior cura sollicitum premit. | 240 |
| Teleg. | Pia educatrix pectus hoc merito movet,
Austera, nutrix Ithaca sed iuvenum bona;
Sed quae remordet cura te, Naupli, anxium? | 245 |
| Naup. | An nomen ipsum Nauplii non te admonet?
Non audiebas tu modo Eumeli sonos,
Cruenta Vlyssis fata tribuentis mihi?
Quamquam innocentem nulla me culpa arguit
Absentiaeque testis es tute integer,
Me tamen ab Ithacis agnatum quae sors manet?
Plebis furorem quis teneat? aut quis patres? | 250 |
| Sin. | Incognitum te nulla violabit manus. | |
| Naup. | Agnoscat imo, me sed insontem sciat
Regina victa testibus: nam tu, Sinon,
Tuque, Polypemon, quotquot et comites vaho,
Adesse Vlyssis cernitis me post rogum. | 255 |
| Teleg. | Rogum, heu, dolendum! quisquis hoc ausus nefas,
Miserae benignum patriae eripuit patrem.
Rex, inquietus aestuat in animo dolor:
Repeto biremem, servulum e sociis voco,
Per quem latebras tristis indagem rei.
Spes in Macareo est saepeque experta fide. | 260 |

Scena sexta

Nauplius, Sinon

- | | | |
|--------------|--|-----|
| <p>Naup.</p> | <p>Quae surgit accusatio in nostrum caput?
Novae quis auctor fabulae?</p> | 265 |
| <p>Sin.</p> | <p>finxit Sinon.</p> | |
| <p>Naup.</p> | <p>Sinonis haec inventa sunt? sicne adiuvas,
Mihi universa consilia et artes dicans?
Quae non patravi crimina, hac fraude astruis?</p> | |
| <p>Sin.</p> | <p>Damnare parce, mira dum, multa et nova,
Vlysse digna dignaque Sinone audias.
Differre quae coegit adveniens comes,
Pertexo, Naupli, teque de errore eximo.
Tune ergo Vlyssem credulus in urna situm
Frigere censes? sic tibi notus vir est?
Crede mihi, vivit; vivit et nectit dolos.</p> | 270 |
| <p>Naup.</p> | <p>Quid igitur aures personat luctus recens?
Illae in latronem quid sibi dirae volunt?</p> | |
| <p>Sin.</p> | <p>Abstulit Vlyssem Nemo, Nemo hic est reus;
Is, qui hoc inani nomine Cyclopem efferum
Irrisit olim, solus e medio tulit,</p> | 275 |
| | <p>Sed salvum Vlyssem, sanguine et plenum suo.
Postquam pepulerat ille Telemachum solo,
In se reductus, aeger ignoto metu
Fugiensque lucis, terruit amicos diu,
Euboica donec exposuit hic me ratis.</p> | |
| | <p>Gaudere visus meque participem ratus
Vt sanguinis, ita amoris, has technas struit.</p> | 280 |
| <p>Naup.</p> | <p>Conficta mortis fama quid praebet spei?</p> | |
| <p>Sin.</p> | <p>Fassus timorem Macareo soli et mihi,
Responsa divum narrat, horrenti edita,
Periturum Vlyssem dextera carissimi.</p> | 285 |
| | <p>Ne pereat ergo, se perisse rex ait.
Nam quis cadaver cinget insidiis putre?</p> | |
| <p>Naup.</p> | <p>Verum illigari fabulae me cur decet?
Cur interemptor, rebus infectis, putor?</p> | 290 |
| <p>Sin.</p> | <p>Nauclerus aderat vester, expectans Notos,
Vt me reducto peteret Euboeas domos.
Qua nocte solvit ille, per tenebras migrans,
Vento secundo carbasa, ego late incolis</p> | |
| | <p>Impono falsis vocibus: regis necem
Divulgo passim, Nauplium ablatum fuga;
Cecidisse Vlyssem, perditum Euboica manu.</p> | 300 |

- Fictum cadaver flebili impositum rogo,
 Cinisque mendax urnaque illata aedibus
 Suasere tristem fabulam vulgo levi. 305
- Naup. Vtinam peracta fabulae series foret!
 Vtinam iaceret stratus hac Ithacus manu!
- Sin. Non est Vlysses debitus, Naupli, tibi;
 Carissimi sed dexteram expectat pavens.
 Nec cariorem filio quemquam rear; 310
 Ille evocatus e Cephallenis agris,
 Nisi fallat aura, tanget hac portum die.
 Oraculi Telemachus implebit fidem.
 Per otium spectare tibi casum licet.
- Naup. Fabella mihi nunc vestra praesidii loco est: 315
 Quis me, crurore regio tinctum modo,
 Asum redire credet e trepida fuga?
- Sin. O perspicacem! quem vides fructum et capis,
 Is ipse mihi spectatus est, cum fingerem.
- Naup. Sed nunc, amice, nulla mihi cura est prior, 320
 Quam conscientias Vlyssis ut latebras sciam.
 O si videre detur!
- Sin. id nempe est datum.
- Naup. Quid ais? Vlysses visus est praesens mihi?
- Sin. Ille ipse Vlysses: visus est tibi, quem cupis.
- Naup. Vbi? quando? magna Numina! eloquere, o Sinon! 325
 Sin. Paulo ante Vlyssem, rex, tibi hoc littus dedit.
 Eumelus ille, nomen alienum gerens,
 Tegebat hostem filii: is Vlysses erat.
- Naup. Cur nesciebam, ah? nec Sinon fidus monet?
- Sin. Moneo. cruenta consilia rursum immemor 330
 Revolvis animo? vi procul et armis tace:
 Dixi. aderit alias, qui tuam sedet sitim:
 Carissimam hostis sentiet Vlysses manum.
- Naup. Menti quietem reddis, expecto silens
 Promissa divum. si tamen cessant dii, 335
 Non deerit ipse Nauplius tantae spei.
- Sin. Nunc persevera fingere et Vlyssem sine
 Veluti latentem callido ingenio frui.
 His ille suetus artibus, ut olim Illi
 Credula fefellit tecta, personam tegens,
 Decipere furtis gaudet et veste haud sua, 340
 Vt sanguinem se rite Sisyphium probet.
 Nescire simula cautus: Eumelum puta.
- Naup. O ars inanis et fragilis, astutia!
 Ille architectus, mille labyrinthos struens,
 Se Daedaleis flexibus frustra occulit. 345

- Sin. Annosa vulpes sit licet, laqueo capi
Ignara poterit, te modo ignarum putet.
- Naup. Pergam videri nescius fictae necis,
Quamquam ultionem filii impatiens amor
Et ira spiret. o mihi redeat, velim,
Eumelus ille! verba non parce ingeram,
Quae vel latentem puniant Ithacum satis.
- Sin. Reddine fictum, rex, tibi Eumelum cupis?
- Naup. Cupio, ea tibi si copia est.
- Sin. reddam celer.
Mihi tibique spero tam laetum hunc diem,
Quam laeta nox est acta Teucrorum in foro,
Incendiis cum miscui Troum lares.
- Naup. Grandine o iniqua nate saxorum obrute!
Vivo tuorum vulnerum, vivo memor!

350

355

360

Actus secundus

Scena prima

Vlysses, Sinon

- Vlyss. Vetus laborum socie laudisque, o Sinon,
Pericla mecum multa perpesse aspera,
Hoc quoque periculum sustine mecum recens.
- Sin. Discriminis, rex provide, minatur nihil.
- Vlyss. Nescire tu me Nauplium iratum iubes. 365
Non te Caphareus sat docet, mihi quid paret.
- Sin. Ignotus illi, nomine Eumeli lates;
Creditaque Vlyssem mors Vlyssis nunc tegit.
- Vlyss. Mihi ille nusquam visus hunc ante est diem;
Nec Nauplio unquam visus ego, fallo inscium. 370
Munitus hac spe, rursus aspectum audeo
Subire saevi vindicis; neque me chalybs
Terret furentis Nauplii, promptum manu
Et destinatum, heu, cariori dexteræ!
Sed animus explorandus infensi hospitis
Atque reparandus, qua potest, error prior. 375
- Sin. Cuivis medetur vulneri prudentia.
- Vlyss. Si vera sit, si candida et laevis doli
Pigmenta fugiens. mi Sinon! quanto stetit
Ars ista pretio, quam populus inhiat stupens!
- Sin. 380
Vitam per omnem fucus hic amatus mihi
Auxitque famam saepe clademque intulit.
In hac arena non bene effectus furor
Prima Palamedis odia demumque ultima
Progenuit illi damna, mihi poenae hunc metum.
- Vlyss. 385
O sancta coniux, vera tu, vera admonens,
Flebas, carere posse successu dolos.
- Sin. At quanta, rex, praeclara versutus geris!
Nunc per te Achilli falsa detrahitur stola,
- Sin. 390
Tuus est Achilles totus atque Hector iacens.
Nunc regia unus victima classem Aulide
Spargenda ad alta Pergama et lauros moves.
Nunc fata transfers, Palladis signum efferens
Irasque iustas Caesiae complens deae;
- Vlyss. 395
Nunc tela, Troiae moenibus fato addita
Ipsumque dominum, blandus e Lemno vocas.
Telamonii nunc victor herois sagax,
Fortissimi fers arma sapientissimus.

	Nunc fabro Epeo machinam dictas novam, Lauro coronans Graeciam ac annos decem. Nunc denique fugis arte Polyphemi gulam Superasque inermis lumine orbatam feram.	400
Vlyss.	Eheu, amice! multa, sed frustra aggeras. Quam tristis est haec gloria, malorum seges! Quae me iuvabant subdolis artes modis, Eae implicant; nuncque miserandum implicant.	405
	Qui fallit, odiis omnium expositus gemit Periculisque mille cervicem obiicit.	
	Ille ego Priamidum victor, heu, vincor domi!	
Sin.	Rex magne! soli qui minabantur proci, Tua repulsi dextera mordent humum. Quidquid Zacynthus, quidquid opposuit Same, Centena fundis corpora et tollis luem.	410
Vlyss.	Quid fracta prodest impia procorum manus? Quid verba prosunt dulcia et lenes soni?	415
	Affabilis quid comitas, manans labris, Si nulla flectunt verba terrentes deos, Si victimam orco dextra talis me immolat?	
Sin.	Confide melius rebus afflictis, precor: Natum timebas? exulat. an hostem? lates.	420
Vlyss.	Cur me per ora gentium fama extulit? Curve populorum tradidit habenas deus? Melius latebam tugurii in parvi sinu. Mortalium oculos fallerem, vitae integer;	
	Nunc ipsa lux me prodit, imperii et mea. O vos beatos, simplices! ego qui dolis Omne superare videor humanum genus, Laedo omne et omne vereor humanum genus.	425
Sin.	Paucas vereris syllabas dubii dei? Oraculum ipse publicum, oraclum times?	430
	Vatemne tu audis, vatibus oculatior? Tu pectus istud fertile et plenum excita: Praei sagaci mente, non deerit polus.	
Vlyss.	Ah, ne lacesse Numinis telum grave!	
Sin.	Mentem dedere Numina ac uti sinunt.	435
Vlyss.	Vtebar olim candidus et inter meos, Consilia sectans Mentoris, vitae genus Placidum sequebar pridem inoffenso pede. O care Mentor! Mentor o morum artifex!	
	Ex cuius ore visa mihi Pallas loqui! Tibi obsequens, colebar et amabar meis, Quod irreprehensum tramitem decurrerem. Cur stultus, ah, relinquo naturam ducem,	440
	Laqueis molestis memet aliosque induens?	

- Sin. Mentor tibi Pallasque sapienti favent. 445
- Vlyss. Solatum, o Minerva, spesque in tot malis!
Te duce subivi tot maria, teque auspice
Exire salvo contigit: tu nunc quoque
Me sapere vere et fugere tot pedicas doce.
Sequar, o Minerva, fata quo divum trahunt!
Sed nunc, amice, devoca e navi hospitem. 450
- Sin. Descendit ultiro, tua prior vota occupans.
- Vlyss. Idem mea utinam cuncta sic vota impleat!

Scena secunda

Vlysses, Nauplius, Sinon, Belides, Eurymedes

- Naup. Eumele, dum te conspicor littus prope,
Occurro sponte, siqua peregrino imperas. 455
- Vlyss. Nil imperatur regibus, magne advena.
Naupli, potentis inclytum Beli genus,
Hanc nescienti da mihi veniam bonus.
Modo ab Sinone doctus, Euboeae colo
Regem verendum gentibus, carum hospitem. 460
- Naup. Tuo a Sinone proditus, nil iam tego.
Sum Nauplius, sed Nauplius non sum latro.
- Vlyss. Purgare culpam hanc propero, iam gnarus satis,
Procul abfuisse regiam Nauplii manum,
Cum nostrum Vlyssem perculit fatum repens. 465
- Rumore vulgi nempe ne reges quidem
Servare semper nomen intactum queunt.
- Naup. Regina tantum ne mihi tribuat scelus,
Paulo ante fandi copiam petii innocens.
- Vlyss. Tam iusta desideria Penelope audiet. 470
- Naup. Fors et querelas audiet, Vlyssis loco;
Quas premere nescit moeror orbati patris.
Audiret haec, superstitem si cernerem,
- Rex ipse Vlysses: repeterem ereptum mihi
Obsessa ad Ili tecta Palamedem miser. 475
- Vlyss. Rex, damna quereris tristia, immensa, aspera.
Lacrymis Vlysses maduit, hanc narrans necem.
- Naup. Nec flere quisquam hanc iustius potuit necem.
Auctor facinoris, Graeciam totam impulit.
Hocne Palamedis meruit eloquium potens? 480
- Hocne illa mens consilia profundens sacra?

- Hocne illa Martis praesidia, signum datum,
Ordo, vigiliae, tesserae, inventum unius?
Hunc omnia illa decora meruere exitum,
Vt leto eodem duxque milesque utilis
Stratus periret, quo cecidit Hecuba impotens?
Sed hanc lapidibus hostis ululantem obruit;
Palamedem amicus et socius imbre tegit.485
- Vlyss. Rex, dicta Vlyssis repetis: ah, indigna mors!
Ita ille saepe gemuit. hic animus sagax,
Haec lingua suavi melle Musarum fluens,
Hoc literarum pariter et belli decus,
Quae non didicerat iuvenis, Argivos docens,
Hic tantus - ah! - cur praecoci morte occidit?490
- Naup. Cur? cecidit ideo, quia melior alaci manu
Sapientiaque clarior famae obsttit
Hostis latentis, luce cui gestum est nihil.
Hanc quoque tenebris consciis caedem edidit:
Praefodit auri pondus, ut teste improbo
Convinceretur noxa Palamedis rei500
Ac veritas occumberet nato prior.
- Vlyss. Non ipse Vlysses vivus inficias eat,
Solitus fateri, proditum hoc auri dolo
Auctore se perisse Palamedis caput,
Sed proditoris: literae ad Priamum datae,
Responsa Troum, perfidum silentium505
Nil indicantis, haec peregerunt reum,
Haec perdiderunt Nauplii infelix genus.
Ithacus quod aurum credit furtim solo,
Vulgo movendo, non rei summae datum est.
Oculis patebat iudicum verum scelus:
Exercitum astu perpulit ficta haec nota.510
- Naup. O mens Vlyssis maior humano modo
Summoque magni gemina consilio Iovis!
- Vlyss. In laudibus probrisque, cave nequid nimis.515
At gloriā sapientiae fama arbitra,
Laudem hanc probante Graecia, tribuit viro.
- Naup. Nec laudem Vlyssi Nauplius veram eripit
Et odit artes, filii exitium sui.
- Vlyss. Has reprehendens, Graeciam totam arguis:
Qua iudice, male gesta Palamedes luit.520
- Naup. Punita per me Graecia Euboico salo,
Per saxa quod peccarat, in saxis luit.
Neque culpa nati me latet, lapsi male;
Sed ne daretur venia, quis clausit viam?
- Vlyss. Ipse sibi: mutus adstitit et expes palam,
Defensionis vacuus et fugiens precum.525

- Tu Graeciam ultus, perditum et Vlyssem videns,
Sufficere tantas filio inferias puta.
Vlterius odiis tendere, o rex, cur iuvat? 530
Ignosce passo fata: fit cineri quies.
- Naup. Fandi ille fector gloriaque prima aucupum,
An te reliquit oris haeredem eloquens?
Non filii, sed patris es tutor potens:
Nec ipse plura posset, ex urna redux. 535
- Belid. At parce flecti! firmus hanc veniam nega!
Vlyssem abominare, vel in ipsa Styge!
- Eury. Crudelis est, qui mortuos odit dolor.
Vmbræ fruantur abditæ aeterno otio.
- Vlyss. Te per ego Achillem, Doricae classi datum, 540
Te per ego victum Pallade avulsa Ilium,
Per vulnera ac trophyæ Neritii ducis,
Per quidquid ille patriæ lucri attulit,
Seu arma seu consilia proferret vigil:
Iras remitte Manibus Vlyssis pius. 545
- Naup. Dulcibus abundas, blandus et felix precum.
Eumele, crede, regia certus fide,
Quae spondeo hodie Manibus Vlyssis tui.
Nihil ego cineri, mortui tumulo nihil,
Nihil iacentis nomini noxae afferam. 550
- Belid. Vtinam superstes cerneret Vlysses diem,
Promissio ne vinciat talis patrem!
- Naup. Vlyssis umbrae quae spoondi, sunt rata.
Vir mente pollens, mille consiliis ferax,
Sublimia agitans semper, ad summa editus, 555
Summus fuisse, tanta nisi virtus dolum,
Obscuram ut umbram, lucis adamasset loco.
Ipsos fefellit callidus Vlysses deos,
Oraculorum denique elusa fide:
- Non dextera carissima leto datus, 560
Hostile sensit vulnus et ferrum exterum.
- Vlyss. Oraculorum densa caligo latet.
Regis benigni verba sufficient mihi:
Hoc recreandæ gaudium et viduae fero.

Scena tertia

Nauplius, Sinon, Telegonus, Belides, Eurymedes

- | | | |
|--------|--|-----|
| Teleg. | Dimissus a me nuspiam apparel comes.
Me longa dudum torquet ardenter mora. | 565 |
| Sin. | Haud dissita procul villula remittet brevi,
Quem vota tam calentia videre expetunt. | |
| Naup. | Sed inde quis nos hospes aut civis petit? | |
| Sin. | Idem hospes atque civis, hic Ithacam redux,
Meo vocatu, post Cephallenos videt. | 570 |
| Naup. | Hicne ille? | |
| Sin. | Vlyssem semper in regem pius,
Sapientia annos anteit: celsa indoles,
Magnanima, celeris proxima arrogantiae. | |

Scena quarta

Iidem, Telemachus

- | | | |
|--------|---|-----|
| Teleg. | Amice, quis te casus inopinus refert?
Quid frons severum moesta languorem notat? | 575 |
| Telem. | Care Polypemon! nuncie o luctus, Sinon!
Heu, quos dolores audio! quosque affero! | |
| Sin. | Fuit, heu, Vlysses! nosse sed refert tua. | |
| Telem. | O patria! o absens nate! regina o dolens!
Quid, cum audietis, funus effari alterum? | 580 |
| Sin. | Quid acerba cumulas? morsne funestat nova? | |
| Telem. | Et Anticlea Ditis accessit domos. | |
| Sin. | Genitrix Vlyssis? auctor an certus rei es? | |
| Telem. | Prudentia haud dignatur effecta eloqui.
Falsa esse o utinam funera haec ambo queant! | 585 |
| | Vt codicillis e tuis didicit, Sinon,
Auctore diro Nauplio factum nefas, | |
| | ‘O nate!’ clamat, ‘nate mi! sic, heu, peris?’ | |
| | Mortalium gravissima o passe omnium!’ | |
| | Nec plura: victam stravit immanis dolor. | |
| | Revocata tandem, muta, pallens, frigida | |
| | Morique certa, texit has furias tamen; | |
| | Itaque fefellit paululum, donec tacens, | |
| | | 590 |

	Occasione adiuta, dum famulae gemunt, Praecepis in undas se Cephallenas dedit.	595
Teleg.	O amice! quis repente geminatur dolor!	
Sin.	Solos sinamus libero fletu frui; Conferre nos consilia per littus iuvat.	

Scena quinta

Telemachus, Telegonus

Teleg.	O quantum ab illo vultus hic differt tuus, Nestorea primum quem mihi ostendit Pylus, Cum transeuntes forte nos iunxit via!	600
Telem.	O quantum ab illa sorte praesentis rigor, Spe quantum ab illa distat, heu, ista orbitas! Amice, quem tunc quaesii, nunc plangitur! Rex ille magnus, quem Pyli sapiens senex Totius ingens Graeciae lumen canit.	605
Teleg.	Amice, crede, quam tuum pectus gravat Letum hoc Vlyssis, tam mihi angustat sinum. Heu, vana spes! solamen hic gravibus malis Longique itineris terminum rebar fore. Nunc omne vitae gaudium hic aufert locus, Quem quaesii, sperare me nusquam sinens.	610
Telem.	An tu quoque indagando lassaris vagus?	
Teleg.	Me quaerere patrem matris imperium iubet.	615
Telem.	Patriam Alybantem fassus es nobis Pyli. Cui tanta decora teque cui debes patri?	
Teleg.	Alybante natus, venio Tyrrheno ex agro, Patris requirens abditi vestigia. Erat ille imago regiae sapientiae, Qua nemo divis propior immortalibus.	620
	Consilia semper hostium vicit prior Oreque diserto Nestoris vicit sonos, Qui verba librans pondere impleret gravi, Flos ac medulla dulcis eloquentiae.	
Telem.	O amice! generis quas mihi promis notas? Communia meo cuncta genitori refers. Perge, obsecro: incunabula parentis doce.	625
Teleg.	Ipsum Tonantem tertio accedit gradu Cyllenioque iunctus a matre est avo.	630

- Telem. Qua voce, o hospes dulcis, attonitum feris?
 Quae signa cunque prodis, in Vlyssem cadunt.
 An ille, amice, spiritum genitor dedit,
 Fratremne iunxit te mihi clemens polus?
 Vlysse namque patre me genitum vides. 635
 Quid obstupescis? Telemachus est, qui rogit.
- Teleg. O dii potentes? tune Telemachus mihi?
 Tune celebratus ille, Laertae nepos,
 Tune ex amico frater, ignotum beas?
- Telem. Te gloriari fratre, Polypemon, iuvat. 640
 Verum remota penitus Alybantis plaga
 Verane prole Vlyssis augebit genus?
- Teleg. Nomen Alybantis absit et Polypemonis.
 Pater ipse Vlysses, haud mihi visus quidem,
 Hac iussit uti fabula, exemplo suo. 645
 Natus ego, genitor quo petiit anno Ilium,
 Clamque educatus, haud meae sortis sciens,
 Fratrem Macareum nomino, puerum puer;
 Eius latentem me soror alebat domi.
- Telem. Quis te repente regium edocuit genus? 650
 Teleg. Regina dum me quaerere parentem iubet,
 Nominat Vlyssem; meque Telegonum suum,
 Commune utriusque pignus, appellat gemens.
 Testis Macareus, qui meo iusu huc venit;
 Regina testis, cuius aspectum expeto; 655
 Hasta illa testis, quam tibi abeundi Pylo,
 Donatus ense hoc, mutuum donum obtuli.
- Telem. Fatalis hasta!
 Teleg. quam mihi genitor notam
 Reliquit abiens, regii indicium patris.
 Nam genitor armis maximeque hasta inclutus, 660
 Hastam osse firmo trygonis claram dedit,
 Quondam futurum pignus ac testem domus.
- Telem. Nunc frater es, nunc certa dictorum fides!
 Haec hasta prodit, credita, heu, patri nimis!
 Deceptus illa, me sacrum, dirum, impium, 665
 Me fratricidam clamat arcetque exulem.
- Teleg. Heu, quanta fratri damna conflavi insciens!
- Telem. Sed cur, amatus atque amans primo die,
 Fratrem tamen latere malebas Pyli?
- Teleg. Tu me latebas ipse; nam stirpem tegens, 670
 Virtute sola amabilis visus mihi es.
 At me vetuerat cauta Penelope loqui,
 Donec Ithacenses denuo adiisse lares.
- Telem. O frater oculis carior! lux o Sames!
 Ah, cur Vlysses gaudiis tantis abest? 675

Teleg. O me sinistra perperam egressum hinc ave!
 Patre ut potirer, patriam muto mari;
 In exteris quem sedibus quaero miser,
 Ibi, unde fugi, cernitur et illic perit!

Scena sexta

Telemachus, Telegonus, Macareus

- | | | |
|--------|---|-----|
| Mac. | Conspectus improvisus aufert me mihi; | 680 |
| | Telemache, salve! tuque, Polypemon meus! | |
| Telem. | Quid decipis! salvere Telegonum iube. | |
| | Germanitatis concium effecit volens. | |
| Teleg. | Germanitatem an dicere, o frater, licet? | |
| | Inculta origo pectus hoc dudum exedit. | 685 |
| Mac. | Haud dubium Vlyssis german, hoc dubio angeris? | |
| Teleg. | De patre certus, matre de vera haereo. | |
| Mac. | Non verba tibi percepta reginae satis? | |
| Teleg. | Audite, amice et frater, agitatum salo | |
| | Et fluctuant, si licet, tabulam date. | 690 |
| | Circe cum me ventus ad regna appulit, | |
| | Quem quaererem professus, ad dominam trahor. | |
| | Studium hoc Vlyssis protinus monuit catam, | |
| | Vt filium deprenderet. taceo moras: | |
| | Post lacrymas, post oscula et blandos sonos, | 695 |
| | ‘Quid tantus’, inquit, ‘spiritus humiles alis? | |
| | Iuvenis, parentem tune Penelopen colis? | |
| | Mortalis haud est, quae tibi membra haec dedit. | |
| | Patre tibi maior mater est, expers rogi. | |
| | Nondumne sentis? te sibi Circe arrogat. | 700 |
| | Hoc nuptiarum german ad Vlyssem redit. | |
| | Ego mater, immortale tibi ego sum decus.’ | |
| Telem. | Has nuptias, mi frater, innuptas puta. | |
| | An casta tanto digna Penelope probro est? | |
| Mac. | Tune educatus insulae in nostra sinu | 705 |
| | In iura nunc Circe traduci queas? | |
| Teleg. | Ferebat illa, me suae natum domi, | |
| | Amoris ergo, mutua ex pacti fide, | |
| | Huc esse missum protinus, pignus thori. | |
| Mac. | Caligo rerum mira iudicium impedit. | 710 |
| | Multa teneo equidem consilia Vlyssis comes; | |
| | Celare solitus plura, nil certum sinit. | |

- Hesperia dum me littora absentem tenent,
Fortuna quid turbaverit, fors me latet.
- Telem. Quid casta verba fundimus? Macareu, abi:
Adesse utrumque filium mater sciat. 715
- Teleg. Tibi mater et regina: mihi quid si extera?
Parentem utrumque perdidi, morte aut dolo:
Vivente genitrice orbus, et patrio solo
Et matre careo, dum teneo matres duas. 720
- Telem. Vlysse dempto, sola Penelope est super,
Natalium explicare quae nodum sciat.
- Teleg. Praecede, Macareu: nuncia, penetra, roga
Viamque nobis pande. si coram adsumus,
Patebit oculis lynceis fraus aut parens.
Properare tu memento. 725
- Telem. nequa obstet mora,
Hunc mitte gladium, frater, indicium tui.
Insigne, capulus quod gerit, delphin natans,
Monumentum Vlyssis, coniugi faciet fidem.
- Telegone, ferrum commoda, munus meum,
Donata pro quo reddidit abunde vicem,
Quam tu vibrabas, hasta. 730
- Mac. tu dono dabas,
Telegone, signum generis et Vlyssis notam?
- Teleg. Egone ut amico nil redonarem novo?
Ille mihi radius trygonis desit licet,
Me vel carentem hoc indice agnoscat parens,
Si modo parentem veritas dici sinit.
Capesse ferrum hoc; teque, fac, liceat sequi. 735
- Telem. Reducem opperimur quisque te puppi ex sua.

Actus tertius

Scena prima

Nauplius, Sinon

- Sin. Pollicita praesto laetus et felix doli. 740
Non suspicabar vanus arcana hostium,
Hostem indicare suetus in Troiae solo.
Impertiendus nuncio non es levi.
Ille Polypemon, magne rex, quem tu vehis,
Alybantis ille alumnus, est fumus merus. 745
Tam lusit ille Nauplium, simulans genus,
Quam mors Vlyssis ludit Ithacorum tribus.
- Naup. Quam tectus igitur iste personam occulit?
Sin. Sperare Vlyssis filium iussit Sinon;
Adduxit etiam, literis iuvenem ciens. 750
Fortuna liberalis hoc geminat bonum
Tibique Vlyssis obiicit natum novum.
- Naup. Quid? Vlyssis hic est surculus? perge, assere!
Sin. Cum natum Vlysses vertere iuberet solum,
Raptum sibi nece questus est natum alterum, 755
Cui traditam hastam Telemachus ad nos tulit.
At ille gestans hanc sibi dono datam
Tuetur hastam; seque munus par pari
Remunerasse, nobili gladio patris.
Ensem hunc Macareus tendit ad villam gerens; 760
Accedo: Vlyssis nosco delphinem notam.
Hic ille gladius: ergo hic ille filius.
- Naup. Ratiocinator callidus verum eruis.
Argenteum delphina vidi ipse ad latus.
- Sin. Insigne Vlyssis.
- Naup. Telemachus ensem hunc dedit; 765
Cui dederat, illum filium Aeolides vocat.
Ergo ille, cuius dextera hoc ferrum attulit,
Soboles Vlyssis altera in patriam redit.
Hocne erat, amore cur vetere in Ithacum ducem
Flagrare sese ferret et salvum hoc loco 770
Cuperet Vlyssem cernere, periclo procul?
- Sin. Vix obvii se viderant, qui mox amor?
Quae gaudia salutantium toto sinu?
Fraternitati haec, non amicitiae dabant.

Scena secunda

Iidem, Nauplii uterque filius

- | | | |
|--------|---|-----|
| Belid. | Quousque, genitor, degere in navi iubes? | 775 |
| Eury. | Quando oppidis inferre permittis pedem? | |
| Naup. | Cave, mea soboles: oppida haec hostem tegunt.
Quid vero? an hoste si potiremur simul,
Simul hosticis et liberis, iusta ultio
An cum parente prolis involvet caput? | |
| Belid. | Hostile quidquid spirat, exspiret iacens. | |
| Sin. | Sententiam aequam! munere hoc uti deum
Et cum parente liberos tolli expedit. | |
| Eury. | An cum parente filius damnum intulit? | |
| Naup. | Ignare, soboles intulit damni nihil. | 785 |
| Belid. | Sed sunt nocentes filii, si sit pater. | |
| Sin. | Vindicta pulchra est, cum ferit totum genus. | |
| Eury. | At innocentii parcere, est pulchrum magis.
Si nos teneret hostis ac odio patris,
Licet innocentes, dederet rabidus neci, | |
| | An hoc probares, frater? insons ne luat! | 790 |
| Naup. | Mi nate, laudo: maior aetate hac sapis.
Si consulo iram, dulcis est omnis crux;
Sed gloriam si consulo, hic aestus perit.
A filiis non repeto Dulichii scelus. | |
| | Contentus ille filii nostri nece,
Nil gravius ultra Nauplio incolumi parat. | 795 |
| | Contentus et ego patris unius nece,
Natis Vlyssei nil gravius aliud paro. | |
| Sin. | Rex, in propinquuo est unus ex illo pari. | 800 |

Scena tertia

Iidem, Telemachus

- | | | |
|--------|--|--|
| Telem. | Lenta Polypemon consilia vixdum expedit.
Haeret Macareus; quem mea incassum ex rate
Diu arbitratus, quaero toto littore. | |
| Sin. | Iniicere quasdam villula videtur moras. | |

Naup. Est, pro Macareo qui veniat, alius, prior. 805
 Pugnare rursus callido Eumelo haud lubet.

Scena quarta

Vlysses, Telemachus

Telem. Cui hic relinquor? quis oculis sese obiicit?
 O generis auctor Iupiter! an umbra, an vir est?
 Vivisne, Vlysse genitor? an verus venis?

Vlyss. Verus rebelli filio genitor venit. 810

Deserere iuga te quis Cephallenum sinit?
 Sic tu paterna imperia post crimen colis?
 Reversio violenta quid vult haec sibi?
 Quod fratricida coepit, an regno imminens
 Nunc parricida absolvet? an vixi satis?
 Cur mutus es, Telemache? vae, misero mihi!
 Ad littus alnum conspicor forte alteram:
 Fert animus explorare suspectum hospitem;
 Occurrit, ecce, non peregrinum caput,
 Sed exul ille filius, subito redux,
 Me nil iubente, nescio, prohibente me!

Telem. Vel duriora si pater nato ingerat,
 Omnen dolorem gaudium absorbet recens.
 Te, te reperto, quidlibet dicar libens.
 Ah, quae trementi fama mihi de te ingruit!
 Vulnere - dii, absit omen! - extinctum gravi,
 Tristis ferebat rumor, at fallax, io!

Vlyss. Rumore vano tune metiris fidem?

Telem. Cum patris agitur vita, nil vanum mihi est.
 Mora nulla: redeo, patrium ut funus colam
 Idemque fortis vindicem, si fors sinat.
 Amice genitor, dexteram an dulci osculo
 Veniamque inexorabilis proli negas?

Vlyss. Vndique patente in littore caveto arbitros.
 Eumelus hic sum et ipse succedo mihi.

Telem. Iam sat remotos, quos times, ducit Sinon.
 Nobilis Vlysse, morte dum ficta tuos
 Tu sponte terres, lacrymas vera imperat.

Vlyss. Cuius?

Telem. paternum gaudeo extinctum rogum,
 Materna sed te funera ad luctum vocant.

- Heu, Anticlea spiritum amisit parens!
 Tuae hanc peremit nuncius vanus necis;
 Periit in undis, se sequi natum rata.
- Vlyss. Neptunium proh semper elementum nocens
 Mihi meisque! peior at fraus est aquis! 845
 Haec, haec Vlyssem conficit semper malis.
 Sentisne iam, sentisne, quid demens struas?
 Caram Anticleam filius latro enecas,
 Tuum latronem filium revocas domum.
- Telem. Ah, sancte genitor! flebiles voces preme! 850
 Egone nefastus, egone formidabilis,
 Abominandus in te ego tollam manus?
 Parens verende, mille me mortes prius
 Tradent nigranti Tartaro, quam te enecem.
 Quo scelere meruit tam tui soboles amans,
 Vt tale de se suspicareris malum? 855
- Vlyss. O nate, mecum flende, sed melior patre!
 Es innocens, Telemache: quid iniquus negem?
 Magnam, fatebor namque, et insignem indolem
 Tibi dederunt Numina; ingentem fidem 860
 Meique amorem semper hic aluit sinus,
 Tibique amorem reddidi semper parem.
- Telem. Vnde igitur atrox lacinat pectus timor?
 Fraternus aut cur maculat insontem cruar?
- Vlyss. Diis patrique haec tribue: tu culpa vacas. 865
 Neritia sceptra cum capessivi redux,
 Se consulenti dii mihi iussa horrida
 Sic reddidere: 'filii caveas manum;
 Carissimi nam dextera stratus cades.'
 Causas timoris, nate, fatalis vides? 870
 Haec ut ab utroque fata removerem impia,
 Tibi perempti fratris affingo scelus.
 Quod metus amorque me iubent, iram voco;
 Fratris latronem dico te, ne sis patris.
 Hastam cruore tingo, ceu signum necis. 875
- Telem. Tulisse patris hanc iram et exilium iuvat,
 Si iudice ipso patre discessi immerens.
- Vlyss. Amare suetus utilem fallaciam,
 Memet feffelli, ceteros astu petens.
 I nunc, Vlysses! fata certando impedi, 880
 Procul remotae filium manda insulae,
 Secede tutus, mortuos inter late.
 O fata nostris nescia infringi artibus!
 Haec ipsa mortis latebra me tradit neci.
 Disseminata haec fabula reducit manum,

- Quam sic cavebam. luctor incassum, o dii!
Promissus ille vocibus vestris, adest.
- Telem. Si certa, genitor, nostra tibi mens est parum,
Si me vereri pergis, age, ferrum expedi:
In me deorum paeveni horrificas minas.
Peribo amoris victima et morte auferam
Mihi futuram infamiam, exemplum et scelus
Orbi execrandum postero, patri metum.
- Vlyss. Exulcerant praecordia hae voces. ... tace!
Aut mite si quod est tibi remedium super,
Deprome, miseri vulnus ut patris leves.
- Telem. Superi! hucne posse deiici tantum virum,
Vt filium aut formidet aut sperans roget?
Parens verende, si mihi tribuis nihil,
Si vita amore fragil sunt fulcrum spei,
Diffide de me; natus est alter tibi.
Dabit ille praesens, quod mihi vires negant.
Iubesne adesse? littus hoc ipsum occupat.
- Vlyss. Quis?
- Telem. cuius ego dicebar occisi reus.
- Vlyss. Quis prole genitor vivit infeliciar?
Vnum repello filium; invadunt duo.
O futilem artem! bella dum Troiam evocant,
Cunas recentes abdo, Telegono cavens;
Effingo nomen, nuncupo Polypemonem,
Alybanta patriam dico, patrem Eperitum.
Ne, ceu tibi, pericla Palamedes novus
Instruat et illi, filium in latebris ali
Hastamque iubeo capere, quae stirpem approbet.
- Telem. Haec omnia patris providi ingenium docent
Notumque firmant nomen indicio novo.
- Vlyss. Haec omnia patrem providum ludunt modo,
Vanumque nomen ridet iratus polus.
Quid iam? recipio filium, an fallo latens?
Decipere sive pergo seu fateor patrem,
Non muto fata; quid meus differt dolus,
Seu nescius seu gnarus hoc fodiat latus?
Ah, nati! uter, uter vestrum in hoc corpus ruet?
Edicite! utri debeor opima hostia?
- Telem. O magne Vlysses! lacrymae vocem auferunt.
Valeant agantque cuncta rectores dii;
At hoc deorum nulla vis, nullus dies
Efficiet unquam, ut ille me sanguis lavet,
Vnde meus iste profluens venas rigat.
- Vlyss. Transadigere furens non mihi Ciconum cohors
Hoc pectus olim potuit? an nullus Phrygum

- Aptam vibrabat cuspidem in Vlyssis necem?
 Soboli reservor! sic pepercisti, o Tonans?
- Telem. Quaecunque moveo, tantus haud cedit dolor.
 Permitte, genitor, frater ut disertior,
 Adductus a me, flebiles questus domet. 935
- Vlyss. Siquid potestas patria in sobolem valet,
 Gravissimis obnuncio iussis vetans,
 Ne vivere patrem Telegonus ex te sciat.
 Prospicere vobis et mihi, meus est labor.
- Telem. Implebo iussa candidus.
- Vlyss. Vlysses quoque 940
 Candidus o utinam fraude vixisset procul!
 Non tanta ferret, tanta prospiceret mala.

Actus quartus

Scena prima

Telemachus, Telegonus, Macareus

- Telem. O quamdiu expectatus huc gressum refers!
- Teleg. Regina quid?
- Mac. suspensa Penelope novo
Haud leviter haesit nuncio; tandem stylo
Tradenda vobis protinus verba exarat.
- Telem. Non filiis Vlyssis accessus patet?
- Mac. Regina nil inconscio Eumelo movet.
Excipiet ille, cum sciet, utrumque hospitem.
- Telem. Hi codicilli, frater, exproment satis
Scribentis animum. te quoque salutat parens.
‘Penelope Telemacho et Telegone, suavissimis liberis.’
- Teleg. Vtinam neverca ne sit! ... o dii! quid lego?
Audesne, frater, credere hoc tantum boni?
- Telem. Censesne, Macareu, seriam cerae fidem?
‘Dilecta o soboles, adventus gaudia differ:
Mox cernes laeta cum genitrice patrem.’
- Teleg. O me renatum denuo, o superis parem,
Si genitor umbris tristibus nondum occubat!
- Telem. Nihilne Macareus? fare, cur lensus taces?
- Teleg. Non ego Macarei dicta iam posco anxius,
Cum laetus ipsam cerno Penelopes manum.
Differre te, regina, laetitiam sino;
Perpetior aequus omnia, incolumi patre.
- Telem. Istanse duxit laeta Penelope notas?
Thalamone viduo casta laetari potest?
- Teleg. Impressit istas laeta Penelope notas:
Ergo incruento vita genitori manet;
Nam casta viduo nulla laetatur thoro.
Erigere, frater! gaudii pondus cape!
- Telem. Dic, fide Macareu: nilne signorum edidit?
Qui vultus haec tradentis, aut vox quae fuit?
- Mac. Micare in oculis visa laetitia et genis,
Circaeа donec audiit mendacia.
- Teleg. Num prodidisti? sed age, quid porro addidit?
Contractiore fronte, ‘quos’, inquit, ‘dolos
Mihi meisque mulier insidians struit?
An vertere etiam filios illi datum est?
Disces parentem, Telegone, venias modo.’

Teleg.	Materna me iam gaudia afficiunt minus, Dum restituto tota mens est in patre.	980
Mac.	De patre demum nescio quid protulit, Oracula esse prodita, nefanda et piae Tremenda stirpi.	
Teleg.	fusane in nostram domum?	
Mac.	In natum Vlyssis alterum, hoc fulmen cadit.	985
Teleg.	Parcite, faventes caelites! Macareu, tremo! Fratremne mene tela designant poli?	
Mac.	Telemachus ipse conscientius fata explicet.	
Telem.	Quid me referre crimen ambiguum iubes, Fratri meumve?	
Teleg.	frater, ah! edissere!	990
Telem.	Telegone, nostrum alteruter in patrem impius Inimica stringet arma vitaque exuet.	
Teleg.	Heu me! quis horror concutit praecordia? Quae vox deorum? quem petit tantum nefas? Tuumne pectus sceleris est tanti capax,	
	Telemache? an istam dexteram huic credis parem?	995
Telem.	Abominemur facinus indignum licet, Decreta divum non queunt flecti irrita.	
Teleg.	Habeo beatus, habeo, quo vitem scelus! Excedo promptus patria, exilium sequor;	1000
	In ultimum orbis sponte me condo angulum, Servire diris dextra ne fatis queat. O expetita tot mihi votis domus!	
	O dulcis Ithaca, desero carum solum. Valete regna! cara Penelope vale!	1005
	Tuque ipse Vlysses absque Telegono vale! Praesente nato ne tua laboret salus, Nolo intueri, nolo iam patrem alloqui.	
	Pandantur hodie vela, celerabo fugam, Cariturus uno gaudio, aeternum miser.	1010
Telem.	Virtute tutus sat tua, crimen fugis?	
Teleg.	Non ulla virtus debiles munit satis, Si nos tremendo criminis obiciunt dei.	
	Cum crederetur traditus Vlysses Stygi, Atrox remedia nulla capiebat malum.	1015
	Dum vivit ille, certus auxilio est locus. Telemache, de te statue; me nihil hic tenet.	
	Te perdo, perdo patriae summas opes Omniaque vitae commoda atque ipsum patrem.	
	Sed me paternus reiicit in fluctus amor.	1020
Telem.	Admiror animum, frater; at praeceps, vide, Nequa feraris. non tibi dico vale.	

Scena secunda

Nauplius, Telegonus, Sinon, Belides cum fratre, Macareus

- Naup. Siste, Polypemon! quae tibi Macareus redux
E villula responsa sollicitus tulit?
Non ego aliena penetro secreta impudens,
Mea curo tantum: nilne Penelope mihi? 1025
- Teleg. Tibi per Macareum, quod sciam, reddit nihil.
Ego ipse vero te nova prece ambo.
Si lintea paras, patere me comitem viae;
Sin immorari pergis Ithacorum solo,
Me scito gratum regio officio fore. 1030
- Naup. Quae mira misces, hospes? agitasne hinc fugam,
Cum pridem anhelus alteram hanc patriam expetas?
Quam vero Vlyssi mortuo exoras opem? 1035
- Teleg. Ludibrium id rumoris est: lucem videt.
- Naup. Quis hic Vlyssem ab inferis rursum excitat?
Sin. Indicia vivum quae tibi eripiunt rogo?
- Teleg. Indicia fida, certa, sed latitantia. 1040
- Vmbras Vlysses fugit, at noxam gravem
Hostis minatur tacitus et miserum premit.
- Naup. Quis hostis ille? fraudibus an armis potens?
Teleg. Huc ille ab oris exteris egit ratem.
- Naup. Hostisne notus Nauplio atque ipsi tibi est? 1045
- Teleg. Duo sunt, Vlyssis a quibus pendet salus
Cladesve summa. tu bonus Vlyssem tege,
Oppone fidus, siquid auxilii potes,
Ne rex verendus impia dextra cadat.
- Naup. Quid, filii, reponere oranti decet?
Belid. Mortuus Vlysses si iacet, merito iacet;
Si vivit ille, frater ut cecidit, cadat.
- Eury. Me deprecantis miseret. an iuveni probo,
Forti, eleganti, regio, hanc veniam neges?
- Sin. Semper benigniora placuere optimis. 1055
- Vir est Vlysses aut fuit, clarus manu,
Et mente celsa clarior ...
- Belid. scelerum artifex,
Hortator ardens criminum.
- Sin. si quid dolis,
Dedit labori plurimum, patriae memor.

	Rex, qui tot hostes, tot maria demum exiit, Eum perire ne velis asper domi.	1060
Naup.	Vt eloquenti me premis lingua potens!	
Sin.	Pluraque subiiciam.	

Naup. cetera in puppi audiam.

Scena tertia

Iidem, Vlysses

Vlyss.	Responsa, rex, haud mollia referri iubet Regina concitatior. nullum hospitum, Immersa lacrymis, aut sibi sisti iubet Aut trahere nostro patitur in portu moras.	1065
Naup.	Hodie migramus, imperant reges domi. Polypemonis sententiam ex ipso elice, Euboea mecum an littora, Alybantem an suam, An celsa adire tecta Penelopes velit, Vt flectat illam, vota quae regum abnuit.	1070
Teleg.	Abigit volentem: iussa me nulla teneant. Felix Vlysses insulam teneat diu; Haec mihi gementi summa votorum est brevis.	1075
Vlyss.	Nunquam hac Vlysses insula excedet dehinc, Quieta in urna perpeti somno fruens.	
Naup.	Tu reliqua nobis effice in navi, Sinon.	
Vlyss.	Post obsequetur Nauplio; parum morae est, Dum cum Macareo praebet hic aures mihi.	1080

Scena quarta

Vlysses, Sinon, Macareus

Vlyss.	Quid garriebat civis hic Alybantius, Polypemonis qui nomen haud verum gerit? Viventem Vlyssem praedicat: quonam indice? Praeter Macareum, te Sinon praeter, dolos Quis pandere meos potuit inviso hospiti? Vter fefellit proditor dominum loquax?	1085
--------	--	------

Sin. Sic dii sereno lumine Sinonem beent,
Vt vita per me nemini patuit tua.

Mac. Regina missis literis auram spei
Afflavit animo iuvenis.

Vlyss. incautam manum!

Vos protinus, quam texuit telam male,
Dissuite mecum. literae ambiguos sonos,
Macareu, retractans in meam torque necem.
Cum praeparatum senties pectus satis,
Post hoc adesse mox iube iuvenem loco.
Ego Sinonque deinde supremum arietem
In advenam admovebimus, nequam auferat
Opinionem nomini adversam meo.

Sin. Facundia Ithaci, quo cupid, cunctos rapit.

Vlyss. O quam severi incumbitis nobis dii!
Oracula urgent vestra: dum natum horreo,
Fortasse nati incurro fatalem in manum!

1090

1095

1100

Actus quintus

Scena prima

Nauplius, Sinon

- Naup. Vbi illa nunc promissa, quae largus crepas?
Vbi alius ille, qui meam sedet sitim?
Per otium spectare quid licuit mihi?
Oraculi an Telemachus implevit fidem? 1105
Sensitne Vlysses dexteram carissimi?
Eiicior hospes turpiter; versus retro,
Altum secabo rebus infectis mare.
- Sin. Nondum relucens Hesperus finit diem,
Repetita nondum dividis rostro aequora.
Oraculorum sentiet Vlysses fidem,
Cessante te; namque in suos casses ruet.
Interpretabar fata, Telemachum ratus.
Proles latebat altera; sed illam quoque 1110
Protraxit ipse Nauplius, natum vehens,
Oracula divum terminaturum hac die.
- Naup. Spes vana, cuius nuspia column patet.
Sin. Sat est, latere. fallat ut Polypemonem,
Conduxit ipse me socium Vlysses sibi. 1120
Videre solitus omnia, hoc nondum videt,
Quod comparavit in suam cladem Sinon.
Securus edic navitis, transtra ut parent;
Iube refigi mobile tabernaculum.
Cetera videbis gesta me solo duce.
- Naup. Tentorium, quod fallere inimicos queat,
Spolium relinqu facile; tu dicta effice. 1125

Scena secunda

Iidem, Telegonus

- Naup. Responsa repetens nostra, Polypemon, venis?
Auctore do Sinone; qui lenis petit,
Tuis, o hospes, ut precibus indulgeam.
Tuus in Vlyssem flagrat effulgens amor. 1130

	Et quidquid optat, sperat aut credit probans, Per me ille vivat, si potest: regnum senex Obtineat usque, Parca dum sera avocet.	
Teleg.	Ah, avocavit! sentio errorem nimis. Inutilis, rex magne, pollicitatio Herois animam nil in Elysio iuvat. Indicia rebar certa, Penelopes manum; Blandita spes est, voce me fallens levi.	1135
Naup.	Etiamne certum est, linquere Ithacenses agros?	1140
Teleg.	Imperia cogunt regia, et luctus iubet.	
Naup.	Patet carina nostra. nunc nautae impero; Velis paratis, hospitem ad cursum voco.	
Teleg.	Amore magnus regio miserum foves.	

Scena tertia

Vlysses, Telegonus, Sinon, Macareus

Teleg.	Eumele, iussum abire quid rursum vocas?	1145
Vlyss.	Eademne tibi nunc summa votorum sedet? Nondum precari desinis voto irrito, Felix Vlysses insulam ut teneat diu?	
Teleg.	Dedocuit idem, qui mihi tabellas tulit.	
Mac.	Regina cernet laeta dilectum hospitem; Sed moesta moesto ostendet, ut poterit, virum, Flammae reliquias scilicet in urna brevi.	1150
Teleg.	Spectaculum ferale luminibus piis! Pollicita tamen hoc, qua mea culpa fidem Regina violat? insula cur me exigit, Non ante viso cinere, quem lacrymis rigem?	1155
Vlyss.	Meo ore Vlyssis vidua tibi causas refert. Primum remittit nobile hoc gladii decus. Restitue, Macareu, regii generis notam: Virtutis iste sit monitor et gloriae.	
	Tum tibi reponi dona Penelope imperat. Data afferatur hasta Telemacho Pyli Cinerisque pars, Vlyssis ex igne ultimo. Macareu, reposta defer ex villae atrio.	1160
Mac.	Tollo pretiosa munera et memini locum.	
Vlyss.	Sinon, propinquus patere tantillum morae, Polypemonem tum testis, ut dixi, erudi.	
Sin.	Pars nulla veritatis effugiet latens.	

Scena quarta

Vlysses, Telegonus

- Vlyss. Sopi querelas: plura promissis feres.
Videre Vlyssem, qualis est, permitteris;
Quin possidebis et tibi partem auferes. 1170
- Teleg. Triste monumentum! sed sacrum, sed amabile!
Ferocia cui tanta, cui animus fuit,
Tam nescius mitescere, ut tali reum
Pollueret orbem funere, in Vlyssem furens? 1175
- Vlyss. Incerta manus est, certa sed caedes nimis;
Quam vidit unus tum superveniens Sinon,
Cum iam latronem celeris auferret fuga.
- Teleg. Hoc prode nomen, o Sinon! utinam scias!
Si nosse detur, testor ego proavum Iovem,
Non haec quiescat dextra, dum plectat nefas.
At nunc inultum destituo Vlyssem miser;
Ac dura dum regina conspectum negat,
Et alterum, quo torqueor, votum perit. 1180
- Vlyss. Quae vota memoras?
- Teleg. pendeo incertus mei. 1185
- Vlyss. Sortis domusne te tuae incertum doles?
- Teleg. Aculeum hunc eximere Penelope potest;
Revellet aliis nemo.
- Vlyss. quid si ego te iuvō?
Arcana Vlyssis multa sunt mihi credita.
- Teleg. Hodie primum me tibi ostendit dies; 1190
Abdita mihi ipsi, pandere ignoto queas?
- Vlyss. Opinione notior, o hospes, mihi es.
Promitto plura: notior mihi quam tibi es.
Polypemonem te dicis, Alybantis genus;
Eperito te rege venerantur satum.
Polypemonem te fingis, Alybanti nihil 1195
Debetur a te, nomen est Eperitus.
Movisse videor.
- Teleg. me mihi quando eripis.
- Vlyss. Commentum Vlyssis pervetus novi satis.
Hanc fabulam in te transtulit Vlysses pater.
Quid extimescis? quid refugis? an te pudet
Genitoris huius? crede mihi, te filio
Indignus ille non fuit, quamquam optimo. 1200
- Teleg. Vtinam quidem unquam me dii tantum evehant,
Vt dignum Vlyssis filium quisquam putet! 1205

- Vlyss. Propago Vlyssis certa, quid simulans negas?
 Verone vis te nomine appellem? scio.
 Telegone, salve. video, non ultra abnui.
 Pergamus, hospes indigena nostrae insulae;
 Pergamus, inquam: visne, tibi narrem palam,
 Quis ille, quo configeris, sit aculeus. 1210
 Velle hoc videris. candidus faciam satis.
 De matre dubitas; nam patris gnarus probe es.
 Tu mente Circen atque Penelopen simul
 Complexus haeres matreque bimater cares. 1215
- Teleg. Quis ista de me? quaeve me demum edidit?
 Vlyss. Telegone, nostris ipsa regina auribus,
 Notis fidelibusque, te modo prodidit.
 Eadem eierare perfidam Circen iubet,
 Suum esse partum te, deos testes vocat. 1220
 Iam te Macarei fida nutribat domus,
 Cum nondum Vlysses cerneret Xanthi alveum,
 Circaea nondum cogitaret littora.
- Teleg. Circen quid igitur, fingeret ut ista, impulit?
 Vlyss. Dicam, ex Vlysse saepe quae certa audii. 1225
 Triremis ut Dulichia Circae solo
 Allapsa sero est, fervidam cepit deam
 Inscius Vlysses. sensit arcana faces
 Turpique Circe cupida pugnavit dolo.
 Fictum subornat nuncium, uxorem domi
 Morbo solutam, vacuus ut pateat thorus. 1230
 Hunc ipsa poscit; concitans arte omnia,
 Novas Vlyssem ad nuptias pellax vocat.
- Teleg. Quam vereor illos melleae Circes scyphos!
 Vlyss. Vitavit unus iste nec amorem bibit. 1235
 Semper voluptas spreta Neritio duci,
 Nec tunc amoris spiculo laesit sinum.
 Fletum gementis praeterit ore aereo,
 Nec ipsa fortem movit immortalitas:
 Hoc munere prior nostra Penelope fuit. 1240
 Elata quamvis, sic tamen tenuit virum,
 Vt repudiaret et dei iura et deam.
- Teleg. Qua fronte Circe spreta iacturam tulit?
 Vlyss. Vt ferret aequiore, simulator vetus,
 Blanditur Ithacus et fovet plenam spei,
 Donec secunda provocent navim flabra,
 Sponsamque clandestina devitet fuga. 1245
- Teleg. Decepit ergo filium, illusa a patre.
 Vlyss. Versare totam fabula hac una domum
 Agressa, dum te filium mendax rapit,
 Parenti utriusque regio quantum probri,

	Discordiarum fomitem quantum obiicit? Haereditatis parte Telegonum exuit, Vt nudus armis noxiis quaerat bona. En, illa Siren se tibi matrem canit, Vt merset odiis pectora et populos malis. Sed tu, parentis more, Sirenem effuge. Sero illa adornat non cohaerentem stropham; Troiana te post bella, post annos decem, Ad se receptum spoliat aetate impudens.	1255
Teleg.	Aetate fractum concidit mendacium: Troiana mihi si tempora haec aufert parens, Qualis remaneo? vah! doli crassi piget.	1260
Vlyss.	Vera ergo mater, sola Penelope thori Consors Vlyssi, invita tibi dicit vale Et fratre teque, ne sibi visis quidem, Privare sese cogitur tristis parens. Hortatur illa, patris ut Vlyssis memor, Sortis procellas semper experti asperae, Quidquid iubebit casus, erectus feras.	1265
Teleg.	O dura virtus! pondera, heu, quanta imperas?	1270
Vlyss.	Quis plura Vlysse solus exhausit mala? Virtute vicit atque consilio omnia. Minus arma quam consilia vel in armis queunt. Sectare patris cetera; unum illud fuge, Ne quidpiam unquam lubricis moveas dolis. Hoc fama Vlyssi pertinax unum obiicit, Quod miscuit bilinguis aliena et sua.	1275
Teleg.	Summe o Vlysse, quo, viris magnis ferax, Diviniorem neminem haec aetas tulit! Tene violatum magnanima proles sciat, Te tamen inulto spiritum ducat stupens?	1280
Vlyss.	Cupidinem tam nobilem sobolis piae Forsan iuvabit testis exitii Sinon.	
Teleg.	Adeo propinquum: plura de patre is mihi.	1285

Scena quinta

Vlysses, Telemachus

Telem. Prohiberi arena hac hospites omnes ferunt;
An hospitem me censem Eumelus fugans,
An filium me iudicat Vlysses amans?

- Vlyss. Quia filium te iudicat Vlysses amans,
 Arcere parricidio diro cupid
 Teque ingemiscens hospitem Eumelus fugat. 1290
- Telem. Vale ergo, genitor, carior patriis plagis!
 Diuque vive, filii absentis memor!
- Vlyss. O miser uterque nate! miserior pater!
 Iactatus alto gurgite et terra et freto
 Passusque, in hominem quotquot aerumnae cadunt,
 Graviora nunc exantlo totusque obruor.
- Telem. Eunt volentes filii, aerumna ut vaces.
- Vlyss. Sic in tenebris gloriam tumulo meam
 Et, ante mortem mortuus, cesso videns
 Pars orbis esse, quo careo, qui me caret.
 Heu, ille Vlysses, regna qui fama replet,
 Metuens suorum, trepidus, in villae abditus
 Arctos parietes, ultimos dies agit.
- Telem. O magne genitor, ambo dum nati absumus,
 Spirare fas est libere et regno palam.
 Sit vita nobis misera, ne paveas necem.
- Vlyss. Absit ab Vlysse mortis ignavus timor.
 Metuere letum me negant bella et salum.
 Qui provocavit millies, mortem an timet?
 Nefas et unam filii timeo manum.
 Extingui ab alio, munus est misero patri.
 Si Nauplius, si quilibet telum exerat,
 Fortiter Vlysses fronteque serena cadet.
 Sed filii mucrone ...
- Telem. si pelagus fugis,
 Vitata crede, quae tibi fata imminent.
 Oraculis conferre fas oracula.
 Ne spreveris responsa Telegono data,
 Paulo ante frater quae mihi laeto attulit:
 Tibi extituram non nisi ex pelago necem. 1315
- Vlyss. Fatale semper pelagus! an Vlyssis caput
 Immite pergis insequi in terris quoque?
 Neptune, solus Numinum ex omni choro
 Infeste Vlyssi! quas tibi poenas dedi,
 Sufficere tandem patere, Polyphemi immemor. 1320
- Noctes tot hyemis, tot dies culpam eluant,
 Ne posteri ferociam damnent dei.
 Ipsa Polyphemi vota satiavi omnia:
 Puppe in aliena, solus et sero et male
 Patriam revisi et casuum inveni chaos.
- Desiste, Numen! sorte me laesus Cyclops
 Meliore vincit; invideo Telamonio. 1325
- Telem. Ni maria tentes, ille non laedet Tridens.

- Vlyss. Vt mare, ita natos fugere me cogit polus.
 Vale exul, o Telemache! virtute ardua
 Vel ultimis a posteris laudem pete.
 Sublime, forte, liberum ingenium tibi est;
 Sed parce verbis, fastui parce et vale.
 Ambo valete filii, avulsi domo:
 Tu, quem paternis brachiis stringo gemens; 1335
 Tuque - heu, o absens! -, filium mihi quem palam
 Vixdum tribuere nomine exerto audeo.
- Telem. Propinquat ipse.
- Vlyss. Telemache, nautas adi
 Levesque tonsas regio iussu expedi.

Scena sexta

Vlysses, Telegonus, Sinon

- Teleg. Suprema spero munera Eumeli a manu. 1345
 Vlyss. Stimulo Macareum: pollicita iamiam feres.

Scena septima

Telegonus, Sinon

- Teleg. Tu iam illud, oro, exequere, tam coeptum bene;
 Tibi namque cognita omnia, oculato arbitro.
 Quis interemptor perfidus? nomen tenes?
 Sin. Care Polypemon, teneo; nam quid iam abnuam,
 Eumelus ipse quando me testem facit,
 Confessus, occurrisse me sceleri novo?
 His visus oculis est fuga in mea latro.
 Telum relictum manibus his tenui tremens,
 Stillante Vlyssis sanguine e plaga madens. 1350
 Teleg. Age ergo! prode nomen auctoris feri!
 Sin. Luctum quid ipse quaeris atque auges tuum?
 Quid proderit, si dixero: ‘praesens adest?’
 Si dixero: ‘vidisse te vivum scelus?’ 1355

	Si dixero: ‘non fallere deorum fidem, Et clari Vlyssis fata venisse ex mari?’	1360
Teleg.	Quid aequori commune cum regis nece? Marine perii?	
Sin.	non mari, verum ex mari. Transfixus hasta, cui venenatam dedit Trygon, marina, cuspidem, subito iacet. Tristi deorum dicta conveniunt rei. Virus marinum, corpus in Vlyssis furit.	1365
Teleg.	Letalis osse trygonis mucro riget? Dii! hasta nostra est! quis aliam vidit parem? Tuo an cruore, rex, meum telum rubet? Hocne mihi donum redditur, patris cruar? Quis fudit autem? per deos! latro quis est? Vindicta stimulat, intimis venis calens.	1370
Sin.	Pia, sed inanis ista vindictae sitis.	
Teleg.	O amice! dextra sufficit; decus et mori est, Si patris umbrae gaudium mea mors emat.	1375
Sin.	Est praepotens sicarius, cautus metu, Timendus armis; nemo prior his in plagis.	
Teleg.	Visum mihi inquis, nemo eum maior praeit. Quem suspicari me iubes? hicne est reus? Nam tantum in unum congruunt isthaec virum.	1380
Sin.	Hic innocentia Nauplio labem affricat, Mendacii compertus, absentem arguens Aliumque nullum caedis auctorem afferens. Domesticum si diceret sceleris reum, Convincere et punire non erat obvium.	1385
	Dixit alienum; quem tamen iusti dii Huc appulere, fraudis horrendae indicem.	
Teleg.	Aperta criminatio prodit reum.	
Sin.	Ambitio nullum refugit in regno scelus. Hunc, per cadaver regium, ascendit gradum Eumelus ille, nemo quem non hic pavet. Regina ceu captiva custode hoc gemit	1390
	Optatque frustra vindicem infelix manum.	
Teleg.	Dabo, quod optas, fida Penelope, dabo! Manes Vlyssis, spondeo magnam hostiam!	1395
Sin.	Frenare, o hospes, impetum disce et modum Periculosis providus pone ausibus.	
Teleg.	Venit, ecce; mente quem peto tota, venit!	
Sin.	Audi monentem rursus et sapiens cave.	1400

Scena octava

Vlysses, Telegonus, Sinon

- | | | |
|--------|--|------|
| Vlyss. | Parata Macareus dona mihi sponte obvius
Dum tradit, opportunus imminuit viam.
Vlyssis hoc perenne memnosynon cape,
Partem verendi cineris. hanc serva memor. | 1405 |
| Teleg. | Non huius ante quam mei vivam immemor.
Cinis o amate! marmore ex Pario struam
Heroi Vlyssi templa; cui plena manu
Ture et dicato sanguine litabit nepos.
Litabo et ipse sanguine, ita testor deos. | 1410 |
| Vlyss. | Accedit hasta, pignus ac donum alterum.
Quam transtulisti in hospitem carum Pyli,
Hanc Ithaca reddit, dextra quam fortis vibret. | 1415 |
| Teleg. | Vibrabo gestans, tela iam pridem mea;
Vibrabo: Vlyssis hasta quoque mentem admonet. | |
| Vlyss. | Ab Vlysse primum venit, ab Vlysse ultimum
Ad te reversa, te sui memorem petit. | 1420 |
| Teleg. | Hic mucro regis stirpe me dignum probet. | |
| Sin. | Multum an cruorem cuspidi haerentem vides? | |
| Teleg. | Dilecte sanguis, osculum nostrum hoc habe:
Obliterabit rite te sanguis novus! | |

Scena nona

Iidem, Nauplius cum filiis

- | | | |
|--------|---|------|
| Naup. | Care Polypemon, prompta te navis vocat.
Age, deseramus nos repellentem insulam,
Scopulis dolosam; fallit hic ipsum solum.
Vtamur isto, qui datur solus, die. | 1425 |
| Teleg. | Obsequia navis accipio et utar die.
Rex, an valere nobilem Eumelum haud iubes? | 1430 |
| Belid. | Quid ferat honoris ille, iactatum aequore
Qui Nauplium proturbat hospitio ferox? | |
| Vlyss. | Regina me, regina vos quidvis iubet. | |
| Naup. | An et maritum perditum tribui mihi
Regina iussit, regiam famam opprimens? | |

- Teleg. Calumniator, transferens atrox nefas!
 Quam paene abibam, sceleris admissi inscius!
 Sed tute, ne te nesciam, imprudens facis.
- Vlyss. Quod exprobras, o hospes, insonti nefas? 1435
- Teleg. Vt hospitis me nomine hoc abigat solum,
 Effecit ille, qui trucidavit patrem.
 Perempte Vlysse, respice Elysia e domo!
 Telegonus audet sanguinem ulcisci tuum.
 Non iam recondo nomine adscito genus:
 Telegonus Ithaco genitus has poenas petit. 1440
 Rex, nunc Vlyssis disce latronem impium!
 Illustre facinus testis illustris vide.
- Sin. Eumele, subitus hospitis crescit furor;
 Nec dignitati consulis, perstans loco. 1445
- Vlyss. Nil innocens veretur aut magnus timet.
- Teleg. Fatetur innocentiam hic hastae crux.
- Sin. Eumele, cernis, cuspidem ut quatiat minax?
 Cede, obsecro, ne casui detur locus.
- Vlyss. Non mucro terret iste, sed voces deum. 1450
 Sub tecta me recipio; sectare, o Sinon.

Scena decima

Teleonus, Macareus, Nauplius cum filiis

- Mac. Temerarie o Telegone! nam quae te rotat
 Vertigo? cui minaris?
- Teleg. hunc ictum aspice!
- Mac. Succurre, Naupli! Telegone! siste, ah; miser!

Scena undecima

Nauplius cum filiis

- Eury. Polypemonem quo cursus insanus rapit? 1455
- Naup. Nunc, filii, nunc iusta Palamedi meo
 Persolvet aequa dextera Polypemonis.
- Eury. Eumelus opera num sua fratri obfuit?
- Naup. Ipse, ipse Vlysses hoc sub Eumelo latet.
 Io, patratum facinus! en, reducitur! 1460

Scena duodecima

Iidem, Telemachus et Macareus *labantem Vlyssem trahentes*, Telegonus

- | | |
|---|-------------------------|
| <p>Telem.</p> <p>Subiicite sedem proximam e tentorio!
Quem specto casum, heu? sicne subtraheris mihi?
Fratrem salutatus accurro ultimum:
Hoc me manebat impium spectaculum?</p> <p>Teleg.</p> <p>Hostem parentis impium sterno pius.
Telemache, nescis: huius Eumeli manu
Cecidit Vlysses; vidit ac docuit Sinon.</p> <p>Telem.</p> <p>Error cruentus! huius est auctor Sinon?</p> <p>Teleg.</p> <p>Suis hic oculis hausit Eumeli scelus.</p> <p>Telem.</p> <p>Hastam mihi, hastam, frater! adsis tu patri.</p> | <p>1465</p> <p>1470</p> |
|---|-------------------------|

Scena tertia decima

Vlysses, Nauplius cum filiis, Telegonus, Macareus

- | | |
|--|-------------------------------------|
| <p>Teleg.</p> <p>Cui ille adesse me iubet patri?</p> <p>Mac.</p> <p>tuo.</p> <p>Moritur Vlysses!</p> <p>Naup.</p> <p>Telegone, grates ago.
Meo fidelis filio, te orbum facis.</p> <p>Vlyss.</p> <p>Est, est Vlysses hic tuus.</p> <p>Teleg.</p> <p>o astra! o pater!
Imo, o Vlysses! dicere haud ausim, pater!
Insons amansque filius, qua se putat
Te vindicare cuspide, heu, traicit furens!</p> <p>Naup.</p> <p>Oraculorum laudo nunc demum exitum:
Filius Vlyssem pectit, et maris e sinu
Educta cuspis hoc peragit ingens opus.</p> <p>Teleg.</p> <p>O impia manus! credula o, o stulta mens!
Miserande rex! en, genua complexus tua,
Excuso nil, nil deprecor: queror et fleo.
Nam quid relictum est aliud? ah veniam, pater!
Veniam scelesto tribue! sed poenam irroga!</p> <p>En, offero ensem, qui tuam praefert notam.
Vires supremas collige et macta reum!</p> | <p>1475</p> <p>1480</p> <p>1485</p> |
|--|-------------------------------------|

Vlyss.	Accipio ferrum. Macarei servet fides. Ne falsa pietas peccet errore altero.	
Teleg.	Quae vita, genitor, morte iam mihi acerbior?	1490
Vlyss.	Mi nate, surge! nulla te culpa inquinat. Paterna venia delet hunc lapsum manus.	
Teleg.	Vivam parentis carnifex, orbis probrum? Quae nemora sat me, quive celabunt specus?	
Naup.	Memento, soboles, hunc diem fratri sacrum.	1495
Belid.	Alacri triumpho gaudio! inimicus luit, Peritque Vlysses: frater, exulta, obrute!	
Eury.	Humana pectus tangit hoc miseratio; Nec clari Vlyssis cernere exitium queo.	

Scena ultima

Iidem, Telemachus

Telem.	Iustas scelestus proditor poenas dedit. Euboica transtra dum per ambages petit, Fugam assecutus mucro sceleratum impulit. Haec hasta, qua meruerat, interitum attulit.	1500
Teleg.	Hanc parricidae, frater, immerge in latus!	
Vlyss.	Ego ipse, nati, fata promovi dolis. Virus marinum properat ... o soboles mea, Valete. valeat fida Penelope domi.	1505
Telem.	O summe regum, pignus hoc fidei ultimum, Hoc osculum atque has lacrymas nati cape!	
Teleg.	Heu! osculo contingere verendam manum Non sustinet, qui sanguinem fudit latro.	1510
Vlyss.	Telegone ...	
Teleg.	sacram porrigis, genitor, manum! Per osculum hoc te, patriam te per manum, Ignosce, precor; ah! ...	
Mac.	maximus Vlysses fuit!	
Naup.	Puppim repetimus, filii! visum est satis.	1515
Telem.	I nunc, dolose, quisquis es, tacito pede: Sapientiae si iungitur et astus vafer, Per mille damna damnum in extremum ruit.	

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1758; deren zahlreichen Anmerkungen mit Hinweisen auf antike Quellen sind im Folgenden gesammelt abgedruckt. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/weit1/te03.html); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktionszeichen wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht; hier dokumentiert nur für den Tragödientext, nicht auch für das Prosa-Argumentum und die Anmerkungen. Stets gedruckt wurde *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *causa* für *caussa* sowie *iamiam* statt *iam iam* (233), *quotquot* statt *quot quot* (1296). Groß geschrieben wurde: 545/548 *manibus*; klein dagegen: 580 *patria*, Anm. 661 *trygon*, 735 *radius trygonis* (statt *Trigonis*, auch in der Anm.), Anm. 1364 *trygone*, *pastinaca*, 1368 *trygonis* sowie A13 *calliditas (periculosum)*. Uneinheitlich belassen wurde *Deus usw.* (‘Argumentum’) neben *deus* (Text).

Die Nennung der Darsteller vor den Szenen wurde geordnet, so 1,3 statt *NTS*, 1,5 *NTS*, 2,3 *NTS*, 5,10 *NTM*. Wie zwei Bemerkungen im ‘Argumentum’ zeigen (vgl. VII und XI), hatte der Verfasser offenbar einen Chor vorgesehen. Im verwendeten Druck ist er allerdings nicht enthalten (vgl. weitere Tragödien Weitenauers: ohne Chor auch ‘Arminii Corona’; ‘Annibal’ und ‘Deme-trius’ dagegen mit Chor).

A12	<i>exclamantem</i> statt <i>exclamanten</i>	
90	<i>faves</i> statt <i>favet</i>	CAMENA
391	<i>nunc</i> statt <i>hunc</i>	
638	<i>Laertae</i> statt <i>Laerte</i>	
952	Der Briefgruß wäre besser nach 953, dort vorgelesen von Teleg.	

‘Komma’ gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: 9, 11, 14, 18, 21, 24, 26, 36, 41, 46, 76, 80, 86, 99, 110, 111, 124, 129, 134, 135, 136, 171, 191, 201, 204, 214, 216, 227, 233, 240, 249, 263, 269, 270, 275, 286, 304, 318, 337, 341, 344, 361, 373, 378, 381, 382, 384, 390, 393, 395, 400, 401, 407, 413, 415, 425, 428, 436, 441, 445, 449, 495, 500, 513, 515, 526, 527, 532, 544, 561, 592, 610, 617, 629, 643, 660, 662, 679, 689, 689, 695, 717, 718, 719, 723, 733, 740, 751, 770, 782, 789, 830, 832, 835, 845, 860, 865, 873, 891, 898, 912, 919, 921, 925, 939, 952, 983, 987, 990, 992, 1018, 1019, 1042, 1043, 1045, 1046, 1056, 1066, 1160, 1162, 1165, 1171, 1186, 1215, 1228, 1235, 1242, 1245, 1256, 1266, 1273, 1274, 1274, 1290, 1295, 1295, 1295, 1297, 1299, 1306, 1311, 1314, 1329, 1329, 1330, 1338, 1343, 1383, 1393, 1397, 1400, 1425, 1446, 1467, 1476, 1487, 1509

‘Komma’ gestrichen nach: 116 *nobilem*, 164 *insulae*, 297 *reducto*, 304 *aedibus*, 445 *Pallasque*, 494 *tantus*, 496 *clarior*, 574 *celeris*, 615 *patrem*, 739 *opperimur*, 844 *nocens*, 987 *mene*, 1144 *regio*, 1145 *abire*, 1214 *simul*, 1260 *receptum*, 1319 *frater*, 1322 *insequi*, 1329 *male*

‘Komma’ ergänzt: 4 *et*, 21, 68, 69, 92, 162, 195, 195, 218 *regna*, 218 *Penelope*, 228 *et*, 230, 230, 256 *tuque*, 258 *rogum*, 258 *heu*, 329, 351, 351, 374, 374, 403 *eheu*, 409 *heu*, 434, 443 *stultus*, 473 *cernerem*, 489 *ah*, 542, 578, 579, 581, 581, 589 *sic*, 589 *heu*, 604, 604, 610, 664 *credita*, 664 *heu*, 666, 667, 675, 681, 681, 723 *praecedere*, 730 *Telegone*, 738, 738, 785, 805, 805, 816 *vae*, 819 *occurrit*, 825, 827 *fallax*, 841, 847 *sentisne*, 850, 859, 859, 922 *ah*, 990, 1021 *praeceps*, 1021 *vide*, 1128 *Polypemon*, 1135, 1210 *visne*, 1255 *en*, 1271, 1271, 1300 *et*, 1302 *heu*, 1341, 1343 *Telemache*, 1347 *illud*, 1365 *trygon*, 1365 *marina*, 1399 *venit*, 1448 *cernis*, 1451, 1454 *siste*, 1460, 1460, 1462, 1475 *imo*, 1477 *heu*, 1482 *en*, 1486 *en*, 1497, 1497, 1514

‘Komma’ statt ‘Punkt’: 1132 *probans*

‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 3, 12, 25, 27, 60, 90, 133, 140, 146, 179, 235, 250, 261 *biremem*, 278, 299, 334, 340 *tegens*, 349, 462, 526, 540 *datum*, 541, 589 *clamat*, 736, 830, 839, 848, 861, 900, 909 *Polypemonem*, 912, 973, 1000, 1009, 1025, 1041, 1047, 1069, 1110, 1166 *mo-rae*, 1196, 1197, 1219, 1231, 1245, 1379, 1415

‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 148, 169 *suasit*, 233, 301, 373, 389, 425, 504, 1151 *virum*, 1253

‘Punkt’ gestrichen: 283 *metu*, 622 *prior*, 914 *docent*, 1201 *pudet*

‘Punkt’ ergänzt: 490

‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 96, 208, 219, 640, 910, 1022 *feraris*, 1114, 1124, 1353

‘Punkt’ statt ‘Komma’: 287, 365, 385, 1027, 1031, 1053, 1248, 1256

‘Strichpunkt’ gestrichen: 435 *Numina*

‘Strichpunkt’ ergänzt: 1454, 1514

‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 30, 72, 278, 310, 1194, 1209, 1258
‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 43, 86, 126, 135, 147, 189, 202, 227, 244, 308, 367, 369, 372,
424, 471, 487, 524, 593, 598, 648, 654, 655, 670, 677, 711, 738, 760, 765, 793, 802, 818
hospitem, 842, 860, 868, 873, 901, 908, 920, 925, 945, 968, 1000, 1017, 1021, 1029, 1074,
1079, 1108, 1113, 1115, 1123, 1127, 1129, 1138, 1142, 1150, 1176, 1182, 1190, 1213, 1232,
1332, 1337, 1347, 1375, 1378, 1387, 1407, 1413, 1423, 1444, 1451, 1467, 1498
‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 394, 680, 1051, 1286, 1399

‘Doppelpunkt’ gestrichen: 62 *necem*, 375 *hospitis*, 1265 *vale*
‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 830, 1339, 1359, 1360

‘Fragezeichen’ statt ‘Komma’: 420 *hostem*
‘Fragezeichen’ statt ‘Ausrufezeichen’: 639

‘Ausrufezeichen’ ergänzt: 586

‘Anführungszeichen’ ergänzt: 218ff., 589f., 696ff., 868f., 976ff., 1358ff.
‘Anführungszeichen’ statt Kursivdruck: 952, 956f.

‘Gedankenstriche’ ergänzt: 494, 1341
‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’: 826
‘Klammern’ gestrichen um: 490 *ita ... gemuit*, 859 *fatebor namque*

Akt 1

- 14 Nauplius: Neptuni et Amymones filius, teste Pomponio Sabino in 2 Aeneid.
- 23 De Nauplio ita Hyginus: *Facem ardentem eo loco extulit, quo saxa acuta et locus periculosissimus erat.* Fab. 116. Idem habet Sen. seu quisquis auctor est, in Agamemn. Act. 3 scena unica.
- 27 *Naves ... plurimae eorum confractae sunt, militesque plurimi cum ducibus tempestate occisi sunt, membraque eorum cum visceribus ad saxa illisa sunt; si qui autem potuerunt ad terram natare, a Nauplio interficiebantur.* Hyginus Fab. 116.
- 50 Ita ab hostibus appellatus est ... dirus Vlysses. Virg. 2 Aeneid. et extremo eodem libro: *Custodes lecti Phoenix et dirus Vlysses.*
- 52 Palamedis cadaver *crematum et vasculo aureo servatum, misere duces ad patrem.* Pomponius Sabinus in 2 Aeneid.
- 90 *Cephallenos et Cephalleniam scribo, 1 geminato.* Homerum sequor Odyss. l. 20; eodemque modo scribit Eustathius, in hunc Homeri versum et in primum Odysseae librum. In ipso autem Homero Odyss. l. ult. semel, iterum, tertio idem reperies. Scio versum, quem Senecae tribuunt: *Gressus nefandos, dux Cephalenum admovet.* Troad. Act. 3. Sed ne ille quidem secunda syllaba nisi longa utitur.
- 92 Vaticinatio, qua Vlysses ex mari periturus praedicatur, est Odyss. l. 11 et 23.
- 100 Autolycus liberos habuit Sisyphum, unde Sinon hic natus; et filiam, quae Vlyssis mater fuit. Servius in 2 Aen. Vel certe Sinon hic noster avum habuit Sinonem alium, Autolyci filium, e cuius sorore Vlysses genitus; ut vult Pomponius Sabinus in 2 Aeneid.
- 102 Vlysses, dissimulata persona, genus hoc ipsum nominaque confinxit; sic enim ipse narrat apud Homerum, Odyss. l. ult.
- 111 Hoc sibi Vlysses nomen apud Laertem imposuit. l. d.
- 117 Homerus, ut in Iliade vires corporis, ita in Odyssea excellentiam animi ad imitandum proposuit. Plutarchus in Vita Homeri.
- 121 *Heroicis aetatibus Vlyssem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientes.* Cic. Tusc. Quaest. l. 5. Vlysses *sapientissimus vir.* Cic. l. 1. de Oratore et l. 2. de legibus.
- 128 Sapientiorem Vlysse neminem in toto Graecorum exercitu fuisse, observat Pausanias, in Eliacis.
- 130 Ita Vlysses appellatur in Plutarchi libro de Ratione irrationalium. Ab Homero autem per totam Iliadem et Odysseam *Polymetis* seu prudentiae plenus saepissime cognominatur.
- 132 Statius, 2 Achill. ... *acer Vlysses.*
- 141 Labores et pericula omnia esse ab Vlysse sapientia et prudentia superata, elogium est Plutarchi, in Vita Homeri.
- 146 Plato in Hippia minore, dum Graecorum duces aliquot suaquemque nota distinguit, Vlyssem appellat *versutissimum. Nec cursus duplicitis per mare Vlyssesi.* Hor. Carm. l. 1. Od. 6. *Vlysses versutus.* Hyginus. Fab. 201. *Astutior Vlyxes dictus est.* Fulgentius, Mytholog. l. 2. c. 11.
- 147 *Nec fallacem cernit Vlyssem Chorus primus Troad.* Senec. *Adest Vlysses, et quidem dubio gradu vultuque: Nectit pectore astus callidos,* eiusdem Tragoediae Act. 3 Sc. I. *O machinator fraudis, o scelerum artifex,* ait ad Vlyssem Andromacha, eiusdem Tragoediae Act. 3 Sc. 3. ... *fare, quos Ithacus dolos, quae sclera nectat,* ait rursum Andromacha, dictae Tragoediae Act. 4 Sc. unica. ... *subdolo Parens Pyrrhus Vlyssi,* Agamemn. Senecaeae Choro 3, ubi Delrius Syntagm. Tragoediae latinae, P. 2, ad Agamemn. v. 631 *Quae Pyrrho ... convenient optime; fraudes vero Vlyssi.* Denique apud Lucianum, in Dialogis Marinis, idem in Vlysse Polyphemus reprehendit, in Dial. Cyclopis et Nept. Apud Homerum in omnibus paene libris utriusque poematis. *Furtis aptus Vlysses.* Ovid. l. 6 Fast. *Regnum fallacis Vlyssis.* Idem l. 13 Met.
- 163 Hom. Odyss. l. 4.
- 173 *Telegonus ... tempestate in Ithacam est delatus.* Hygin. Fab. 127.
- 177 Eustathius, in l. 4 Odyss.
- 199 Telemachum ab Vlysse in Cephalleniam remotum, narrat Dictys Cretens. l. 6.
- 237 *Et iam Dulichios portus Ithacamque Samenque*
Neritiasque domos, regnum fallacis Vlyssi,
Praeter erant vecti. Ovid. Met. 13.
- Nec mihi Dulichium domus est Ithaceve Sameve. Idem, ubi se cum Vlysse comparat l. 1 Trist. Elegia 4.
- Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacinthus,*
Dulichiumque Sameque et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,
Et terram altricem saevi execramur Vlyssis. Aeneas Virgilianus, Aen. 3.
- Vlysses ipse de ditione sua apud Alcinoum loquens, enumerat Dulichiam, Samen et nemorosam Zacinthum, Odyss. l. 9. Quod et Telemachus repetit Odyss. l. 16. His addit Homerus l. 2 Iliad. Cephallenios, Neritum, Ithacam, Crocylia, Aegilipa.
- 259 Populorum, quos imperio regebat, patrem appellat Homerus, Odyss. l. 2.

- 278 *Neminem ipse se appellavit.* Lucian. in Dialog. Marinis, in Dial. Cycl. et Nept. Narrat Homerus Odyss. l. 9.
 290 Vaticinatio haec refertur Act. 3 Sc. 4 lit. d.
 359 *Palamedes lapidibus interemptus est.* Servius, in 2 Aen. Idem habet Philostratus in Heroicis, de Palamed.

Akt 2

- 361 Sinon Vlyssis socius appellatur a Pausania, in Phocicis.
 366 *Saxa triumphales regere capharea puppes,*
Naufraga cum vasto Graecia tracta salo est. Propert. 1. 3 Elegia 6.
 415 *Vlyssem in omni sermone omnibus affabilem habes apud M. T. Cic. 1. de Off.*
 416 ... *Quod vobis semper, Achivi,*
Profuit ingenium meaque haec facundia, siqua est,
Quae nunc pro domino, pro vobis saepe locuta est. Ita Vlysses Ovid. 13 Met.
 423 Tale est Vlyssis votum apud Platonem, l. 10 de Republ. (sed apud Inferos.)
 427 Ita de se ad Penelopen Vlysses ipse, adhuc tum ignotus, Odyss. l. 19.
 437 Mentor Vlyssis comes. Homerus Odyss. l. 2.
 440 Homer. Odyss. l. 2 et 24.
 442 Nomen *irreprehensi* saepius Vlyssi ab Homero tribuitur.
 446 *Bellatrix illi Diva ferebat opem.* Ovid 1 Trist. Elegia 4. Gloriatur hoc ipse, apud Euripidem in Rheso, Act. 4 Sc. 2. Idem legitur apud Homerum Iliad. 10 et Odyss. 13.
 457 *Belidae nomen Palamedis et inclyta fama gloria,* Virgil. 2 Aen.
 459 *Dum stabat regno incolumis.* Virgil. 2 Aen. Vbi Cerdanus: *Regem vocat, ut proceres alios bellum Troiani, Aiacem, Achillem, Nestorem, Homerum.* In eundem [Original: eudem] Virgilii locum Pomponius Sabinus: *Palamedes unus ex ducibus, id est regibus, erat.* Et Servius: *Quia et ipse unus de regibus fuit.* Jacobus vero Pontanus: *Nauplius autem Euboeae rex.* in Ovid. Met. ad l. 13. De eodem Delrius: *Fuit namque rex Euboeae.* Synt. Tragoediae Latinae, P. 3, in Sen. Medeam, ad v. 658.
 481 *Palamedes consilio et eloquentia plurimum valebat.* Pompon. Sabin. in 2 Aen.
 483 *Ordinem exercitus, signi dationem, tesseras, vigilias invenit Palamedes Troiano bello.* Plin. hist. natural. l. 7 c. 56.
 486 Hecubam, cum victorem exercitum devoveret ac tumultum cieret, Maroneae Vlyssis iussu lapidatam tumulumque ab eo *sepulchrum canis* appellatum esse, narrat Suidas, in *Canis Monumento*.
 490 *Palamedi nomen sapientis* tribuit Eustathius, in Odyss. l. 11.
 491 Chorus in Euripidis Tragoedia *Palamed.* verba recitat (ipsa enim Tragoedia intercidit); Philostratus in Heroicis, de Vlysse.
 493 Philostratus, in Vita Apollonii, l. 3 c. 6.
 496 Philostratus in Heroicis, de Vlyss. Xenophon in Apologia pro Socrate. Denique et D. Greg. Naz. Oratione priore in Julianum observat, Palamedem propter sapientiam invidae fuisse obnoxium ideoque damnatum.
 499 *Ostendit, quod iam praefoderat, aurum.* Ovid. 13 Met. Narrat Hyginus, fab. 105, ubi et de literis ad Priamum.
 501 Philostratus in Heroicis, de Palamede.
 514 Non dubitavit ita pronunciare Homerus, nec uno tantum loco; Iliad. l. 2, totidem verbis id dicit Iliad. l. 10, rursum in Boeotia libri 2 Iliados.
 515 Extat is versus Iliados l. 10 et laudatur a Plutarcho in septem sapientum Convivio.
 520 ... *Vobis quoque digna pudore*
Obiicit. an falso Palameden crimine turpe
Accusasse mihi, vobis damnasse decorum est? Ovid. 13 Met.
 527 *Sed neque Naupliades facinus defendere tantum*
Tamque patens valuit. Idem ibidem.
 557 Vlysses fuit homo sublimis consilii et praegrandis ingenii, fraude an virtute plus valens, incertum. Ioann. Bocatius, de Genealogia Deorum l. 11 c. 40.
 573 Telemachus constanter ab Homero appellatus est prudens. Odyss. 1, 2, 3, 4, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24. Ipsorum etiam hostium, procerum Penelopes, confessione, iuvenis fuit consilio et mente pollens. Odyss. l. 16.
 574 Ita semel, iterum, saepius, Odyss. l. 2. et 17.
 596 Anticlia vitam morte voluntaria finiit, cum ei persuasum esset, Vlyssem Nauplii dolo periisse. Eustath. in l. 11 Odyss.
 615 Teleonus missus a matre, ut genitorem quaereret. Hyginus fab. 127. Item Plutarch. in Parall. Graec. et Rom. ipso fine.
 618 Eustath. in l. 11 Odyss.
 620 *Quis est enim Vlysses? an non sapientia, quae invicta per omnia pericula intrepide pertransit?* Natalis Comes, Mytholog. l. 9 c. 1. Fulgentius quoque Vlyssem veluti symbolum et effigiem quandam [Original: quamdam] facit sapientis. Mytholog. l. 2 c. 11.
 621 Homer. Odyss. l. 1.

- 629 *Nam mihi Laertes pater est, Arcesius illi,
Iupiter huic.* Ovid. 13 Met. Adde Eustathium, in Odyss. l. 16.
 630 *Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas. deus est in utroque parente.* Ovid. 13 Met.
 Nam Anticlea, Vlyssis mater, Autolyci erat filia, Mercurio geniti. Homerus Odyss. l. 11.
 Eustathius in l. 11 Odyss. De osse trygonis etiam testatur Dictys Cretens. l. 6.
 711 *Neritius Macareus, comes experientis Vlyssei.* Ovid. 14 Met.
 713 *Pertimui, fateor, nactusque hoc littus, adhaesi.* Macareus, apud eundem ibidem. Littus autem illud erat Italiae, ubi dein Caieta aedificata est.
 729 *Vlysses delphinis insigne in scuto praetulit.* Alexander ab Alexandro, Genialium dierum l. 6 c. 22. Idem habet Caelius Rhodigin. antiquarum lectionum l. 8 c. 6. Sed neuter fontem prodit, e quo haec hausta. Is est Plutarchus, qui l. Quae animalium prudentiora Ste-sichorum narrare inquit, Vlyssem clypei insigne habuisse delphinum.
 735 *Pastinaca latrocinatur ex occulto, transeuntes radio (quod telum est ei) figens.* Plin. histor. natural. l. 9 c. 42. De hoc pastinacae seu trygonis radio meminit idem Plinius l. 32 c. 7, 8 et 10.

Akt 3

- 742 *Specularem significationem eodem bello Troiano invenit Sinon.* Plinius histor. natural. l. 7 c. 56. Et Calaber. l. 13 ac Tryphiodorus in Halosi Troiae.
 771 *Telegoni verba,* Act. 1 Sc. 3.
 859 *Odyss. l. 1 et 3.*
 869 *Quod ei responsum fuerat, ut a filio caveret mortem.* Hygin. Fab. 127. Idem narrat Dictys Cretens. l. 6 et 7 additque, idcirco suspectum Telemachum in Cephallenios agros remotum.
 882 *Secessisse Vlyssem seque abdidisse, discriminis vitandi causa, affirmat Dictys Cretens. l. 6.*
 929 Homer. Odyss. l. 9.

Akt 4

- 1057 ... *scelerumque inventor Vlysses.* Virgil. 2 Aen. *Hortator scelerum ...* Ovid. 13 Met. *Hortator scelerum, Aeolides.* Virgil. 6 Aen. Sed haec Vlyssis hostes, Deiphobus, Ajax, Aeneas.

Akt 5

- 1107 *Sinonis dicta, Act. 1 Sc. 6.*
 1115 *Nec enim alium quisquam Vlyssis filium noverat, praeter Telemachum, ut ait Dictys Cretens. l. 6.*
 1121 *Ab inimico Aiace Vlysses appellatur omnia videns,* in Sophoclis Aiace Mastigoph. Act. 2 Sc. 2.
 1233 ... *laborantes in uno Penelopen vitreamque Circen.* Horat. carm. l. 1 Od. 17.
 1236 Contemptum voluptatis in Vlysse laudat Plutarchus, in Vita Homeri.
 1237 *Ogygiam et Aeaeam insulas et illum dearum amorem nullam fidem mereri, iam olim observavit Philostratus in Heroicis, de Vlysse.*
 1238 *Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae.* Propert. l. 3 Elegia 11.
 1239 *Sapientissimus vir, Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse.* Cic. l. 2 de Legib. *ut Ithacam ... sapientissimus vir immortalitati anteponeret.* Idem Cic. l. 1 de Oratore. Laudavit id Aristoteles quoque, l. 1 Oeconom. secundum divisionem Sylv. Mauri c. 9. Obtulerat immortalitatem Vlyssi Circe. Odyss. l. 5 et 7.
 1242 *Vlysses Circaeos amores contempsit.* Gryllus Plutarchi, de Ratione Irrational. Animal. Idque ipse de se dicit Vlysses, Homeri Odyss. l. 9.
 1280 *Divinus ab Homero Vlysses Iliadis et Odysseae locis innumeris dicitur.* Ipse adeo Iupiter eum hoc nomine appellat Odyss. l. 1 et 24.
 1336 Sic Telemachum hortatur Minerva Odyss. l. 1. Quod Nestor repetit l. 3. Id ei cumulate praestitit Celsiss. Fenelon in opere immortali De rebus gestis Telemachi; quod floridissimo stylo latine conversum Amicus noster eruditissimus edidit Pl. R. D. Gregorius Trautweinius, ad Insulas Wengenses Vlmae Canonicus Reg.
 1364 *Nihil est venenarius usquam, quam in mari pastinaca, utpote cum radio eius arbores necari dixerimus.* Plinius l. 32 c. 2. Dixerat id autem de trygone seu pastinaca, l. 9 c. 48, ubi ait: *Arbores infixus radici necat. Arma ut telum perforat.* Idem de arboribus narrat Aelianus, l. 2 de animalibus c. 36. Eiusdem l. 2 c. 50 praesentissimum id esse venenum testatur. Rursum l. 8 de animalibus c. 26, radium illum appellat *mortiferum.* Idem testatur Nicander in Ther.

- 1404 Solita iam tum comburi cadavera, arguento est urna aurea, in qua Palamedis cineres ad Nauplium missi; ut dixi ad Actum I ex Pomponio Sabino in 2 Aen. Adde Homerum, qui in Elpenoris funere arma etiam cum domino flammis tradit, Odyss. l. 12.
- 1408 Fuit Lacedaemone Vlyssis aedes. Plutarchus, in Capitibus Graecis, quaest. 48.
- 1423 *Et nocens saxis Ithace dolosis.* Troad. Senec. Choro 3.
- 1464 Telemachum adfuisse morienti patri, docet Hyginus, fab. 127.
- 1477 *Vlysses a Telegono filio est interfectus.* Hyginus ibidem. Narrat et Dictys Cretens. l. 6. Meminit et Eustathius, in Odyss. l. 10 et l. 11. Horatius quoque: *Telegoni iuga parricidae.* Carm. l. 2 Od. 29. Nemo nescit Ovidianum illud: *Oedipodas facito, Telegonosque voces.* Trist. l. 1 Elegia 1. Imo apud ipsum Aristotelem id extat in Poetica c. undec. secundum divisionem Sylv. Mauri; e quo loco constat, iam tum extitisse Tragoediam, *Vlyssem Vulneratum.*